



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

B. Annæ Christi Servatoris Nostri Aviae Maternæ

Cuperus, Laurentius

Antverpiae, 1591

urn:nbn:de:hbz:466:1-45194

Th

2549

Th. 2549.

K

1

13

B. ANNÆ
CHRISTI SER-
VATORIS NOSTRI AVIAE
MATERNÆ, EX OPTIMIS
& vetustissimis Ecclesiæ Docto-
ribus studiosè collectæ

Lib. Col. Sac. S. I. Paderborn. a. 1610.
GENEALOGIA ET VITA,

*Semotis hinc omnibus confictis quas veteres
ignorarunt historiis.*

AVTORE

F. LAURENTIO CVPERO, S. T.
Licent. Carmelitarum Infer. Germaniæ P.
Prouinciale.



ANTVERPIÆ.

Apud Ioannem Bellerum ad insigne
Aquilæ aureæ.

1591.

Cum Privilegio Regis.

B. ANN. E.

CHRISTIANUS

VALERII MONTANI

MATERIA EX OPTIMA

et recondita

recondita

GENEALOGIA ET VITAE

et recondita

et recondita

et recondita

et recondita

et recondita

et recondita

et recondita

et recondita

et recondita

et recondita

et recondita

et recondita

et recondita

et recondita

et recondita

et recondita

et recondita

et recondita

et recondita

et recondita

et recondita

et recondita

ANNEALOGIA

et recondita

et recondita

et recondita

et recondita



AMPLISSIMO
IVRISCONSULTISSI-
MOQUE VIRO DOMI-
no Gulielmo à Pamele, Equiti auro-
ro, Domino de Gotthem, secreti
Concilij Regiæ Maiestatis Præ-
sidi: & rerum Status Con-
siliario.

Disceptatum est diu, Vir or-
natissime, de beatæ Annæ
Christi Seruatoris nostri
auix maternæ coniugio,
vnicum ne illud fuerit an plura, dein-
de vtrum Maria Cleophæ & Maria
Salome vterinæ fuerint matris Iesu
sorores. Feruebat hæc disputatio quã
plurimum inter Natalem Bedã theo-
logum Parisinum & Iacobum Fa-
brum.

A 2

brum

EPISTOLA

*In libello
de laudi.
B. Anna.*

*In Enco-
mio triū
Mariarū
apud lo-
docum Ba-
diū Pari-
sis. 1529.*

brum Stapulensem non minoris eru-
ditionis Philosophum & Theologiæ
studiosum, sub annum partus Virgi-
nei M. D. XVII. Ioannes I rithe-
mius abbas Spanheimensis & aliquot
alij cum Fabro beatam Annam vni-
uiram fuisse, neque iam nominatas
Euāgelicas illas matronas castissimæ
Virginis matris sorores vterinas esse
contendebant. Beda & Ioannes Ber-
taudus militari tandē calore accensi,
vsque adeo aduersarijs oppedere atq;
trinubā affirmare, vt manifestis conui-
tiji antagonistas proscinderēt, maxi-
mē Bertaudus, qui in ipso limine En-
comij sui trium Mariarum exclamās
Luteranos esse qui tres huic Annæ fi-
lias non credunt: O quam, inquit,
absurdum esset soliditatem deuotio-
nis Ecclesiæ auferre, & qualibuscum-
que ratiunculis cōmunem Ecclesiæ
sententiā euerrere? Hac ille. Metue-
bat bonus ille Bertaudus ne cœlum
rueret,

DEDICATORIA.

rueret, omniaq; Deo & Diuæ Annæ
 erecta sacella corruerēt, si à sua senten-
 tia quisquã dissideret, quã ibidem, sed
 impudenter nimis vniuersalis Eccle-
 siæ fidẽ esse scribit. Modestius Iacob.
 Vuimpina Prædicatorii or. inis vir,
 Frácfurti non ad Mœnũ sed ad Oderã
 tres de tribus B. Annæ filiabus libros
 conscripsit. Cæterum quoniã id tem-
 poris quotidie per Luterum & Zwin-
 gliũ de religione Christiana cõtrouer-
 siæ semper extitere maiores, hæc de
 sanctæ Annæ filiabus intermissa est
 quæstio: vulgo interim in hac senten-
 tia permanente, quòd trigama non
 monogama beata Anna fuerit, vel ob
 id potissimum quòd Diuus Hierony-
 mus duobus aut etiam pluribus locis
 Mariã Cleophæ scribit esse sororẽ ma-
 tris Domini & materterã Iesu. Quã
 opinionem re penitus non introspe-
 cta plariq; recentiores Theologi, ve-
 nerabilis Beda, Hugo de S. Victore

*Ad Hedi-
 biã qu. 4.*

*Contra
 Heluidiũ
 in Marc.
 In epi. ad
 Gala.*

EPISTOLA

Hugo Carēsis Cardinalis, Dionysius Carthusianus, Ioannes Gerton Cācellarius Parisiē. B. Thomas Aquinas in epi. ad Galatas, & cæteri cōplures sūt amplexi; vnde & qui diuersæ erāt sententiæ pedem referre herbamq; dare visi sunt. Atque, vt verum fatear, iamdudum equidem ipse pedibus in eorum sententiam cōcessi, qui B. Annæ tribus coniugijs tres hasce Marias esse procreatas docuerunt, quom & Baptista Mantuanus noster tā in Parthenice Mariana, quam in libris Fastorum canat:

*Parthenices Maria
na libr. 1.
Fast. li. 7.*

*Tres triplici partu Marias tribus Anna
maritis: Progenit. — Et iterum:
Anna puerperio fortunatissima sancto,
Tres habuisse viros & tres habuisse puel-
las: Dicitur. —*

Verumenimvero posteaquā Petrus Canisius Theologus insignis, & Dominus Cornelius Iāsenius Episcopus Gandauensis, Aloysius Lipomanus Episco-

DEDICATORIA.

Episc. Veron. Cęsar Baronius aliq̄;
nōnulli controuersia hęc diligentius
excussisse, expēdisse, dijudicasseq̄; cō-
peritur, & vetustissimorū theologorū
testimonijs diuersā sentētiā cōfirmas-
se, mutata sentētia, vela verti, funēq̄;
reduxi. Nā profecto quę hi docēt vno
pene ictu legentē impellūt vsque adeo
vt cognitū satis sit vero magis cōsen-
taneā esse horū doctrinā qui B. Annā
vniūtam, quā qui multinubā esse
frigidē nimis autumāt: illi enim obe-
quitates latius pugnāt, ab omni par-
te auxilia nequicquā inuocāt, dū idē-
tidē repetūt verba hęc: Aiunt, Dicūt,
&c. neq̄; solidi aliquid statuere que-
unt, at hi cominus mucronibus vete-
rū Ecclesię Patrum occurrūt propius
multoq̄; acumine arctius cōcludunt.
Quapropter vt illustretur magis veri-
tas, quę sparsim à prædictis præsulibus
Iāsenio & Lipomano; Theologis itē
Canisio & Baronio scripta de B. Annę

EPISTOLA

vnico connubio inueni in hoc Enchi-
ridion congesi: ratus me posteris ve-
hementer cōsulere posse, si laborē hūc
mihi propriū sumerē, eiusdemq; stu-
dij fructus, sub dignissimi, doctissimi
que alicuius viri ductu patrociniōq;
cōmunes esse paterer. Natura quippe
nostra corrupta sic comparatū vide-
mus, vt simplices & literarum rudes
à vulgaribus pudeat dissentire; criti-
cos quoq; multa quæ publicè ab eru-
ditis probātur in malam partem per-
sape detorquere compertū est: sicut
& in sandalio Veneris crassus ille su-
tor Apellem nobilissimū pictorē re-
prehendit. Cæterū quis est quo cū tā
præclarè sit actum vt omnium Momo-
rum scommata, omnium Zoilorum
castigationes, omniumq; Theonum
dentes effugerit? Linium miræ facun-
dię historicum Asinius Pollio, Theo-
phrastum anus quædam Attica, & Ve-
ctium Lucilius insectatus est; ex qui-
bus

DEDICATORIA.

bus constat nō esse satis si limatum & ad regulam vetustissimorum Theologorum compositū sit opusculum, nisi etiā lectores & candidos & æquos & veritatis amatores nactus fueris. Circumspicienti igitur mihi quem Theseum, quemq; Piladē ex tot nobiliū, doctissimorumq; virorū corona Patronum inuocare, præ cæteris vnus tu te visus es aptissimus, cuius dulcissima cōiunx Anna Vuinoc in Diuæ Anæ Seruatoris nostri auie maternę laudes, honores, inuocatione & imitatione est occupatissima, edificato ad hoc in Dei Opt. Max. gloriā & beatę Annę honorē sacello in oppidi Bruxell. æde sacra summa. Quoniā igitur eundem hunc libellum à me eidē in vulgarem ac Belgicam seu Flandricā linguam translatum dedicare stabat sententia, noluit tamen hoc admittere impudentiæ, nisi conscio eius coniuge. Neque enim tam bardus, stupidusq;

EPISTOLA

vecors & effrons fuero vt munuscu-
lum aliquod quod vir non viderit of-
feram vxori, quom etiã Lacæna quæ
dam nescio ad quid sollicitata nuncio
responderit: Viro meo rem aperiat.
Imò & Samaritana nostra Euangeli-
ca dum à Christo petit aquam viuam
quid aufert responsi? Vade, inquit, vo-
ca virum tuum: significare volens, ho-
nestati non conuenire, vt absente ma-
rito quidquam ei donet. Vt ergo quæ
mens mea sit intelligas, acriter in Dei
& B. Annę laudibus currentem tuam
coniugem, exhortari collibuit, vt for-
tius currat. Nam si veram hanc B. An-
næ historiã legerit, omne pietatis ex-
ercitiũ erga matrẽ Dei, matrisq; Dei
parentem sine negotio consequetur.
Quæ enim virtus, amãbo, fuerit, fidẽ
dico, spem, charitatẽ, orationes, elee-
mosynas, ignominiarum tolerantia,ã,
patientia, castitatẽ, sexcentasq; virtu-
tes alias quas imitetur in historia vi-
tæ eius

DEDICATORIA.

tae eius non inueniat? Imò & beneficia
 miraculosa quæ suis precibus à Chri-
 sto nepote tuo quotidie mortalibus
 D. Anna impetrat, repertura est suauis-
 sima cõiunx tua. Ex multis tamen v-
 nũ dũtaxat huic libello inserui, quod
 Rodolpho Agricolaẽ doctrina & pie-
 tate clarissimo viro obtigit. Reliqua
 ex libello Trithemij; De laudibus &
 miraculis B. Annę peti possunt. Quod
 proinde tibi tuęq; cõiugi marronegra-
 uissimę munusculũ offero, vir integer
 rime, ne spernas quæso, sed æqui boni
 que cõsule; nã & præpotentibus etiã
 mulieribus tã virginibus quã nuptis
 & viduis, Paule, Eustochio, Demetria-
 di, Principiæ, Algasiæ, Hedibiæ, Salui-
 næ, & Gerõtię B. Hieronymus aliquot
 scripsit opuscula. Vale & nos, quod fa-
 cis dilige, Calẽ. Decẽ. anni M.D.XCI.

*Tuus obsequentijs clientulus F. Lau-
 rentius Cuperus Carmelitarũ Inse.
 Germaniæ Prior. Prouincial.*

INDEX
Nomenclaturæ scriptorum tam
Græcorum quàm Latinorum
qui in hoc opusculo ci-
tantur.

Anno Christi.

I Gnatius Antiochenæ ecclesiæ Epif- copus sub Traiano.	111
Abdias Babylonix Episcopus sub Ælio Adriano.	150
Hegesippus sub Antonino Pio.	159
Irenæus Episcopus Lugdunensis sub Marco Antonino.	175
Iulius Africanus sub Marco Aurelio Antonino.	220
Origenes Adamantius sub Gallo Cæ- sare.	251
Hippolitus Episcopus Portuensis.	255
Suidas sub Constantino Constanti- ni filio.	340
Basilus Magnus Cæsariensis Episco- pus	

pus sub Valente. 380
Epiphanius Episcopus Constantia
Cypri sub Theodosio Magno.
384
Gregorius Nazanzenus Episcopus
Constantinopoleos sub Gratia-
no. 384
Gregorius Nyssenus Episcopus sub
Gratiano. 384
Ioannes Chrysostronus Episcopus
Constantinopo. sub Theodosio Iu-
niore. 410
Augustinus Episcopus Hipponen-
sis sub Theodosio Iuniore. 33
Hieronymus Stridonensis presby-
ter sub Theodosio & Arcadio.
420
Isidorus Hispalensis sub Heraclio.
630
Beda Venerabilis sub Leone Ima-
ro. 737
Germanus Patriarcha Constantino-
politanus sub Leone Imauro. 737
Ioan-

Ioannes Damascenus Monachus sub
Theodosio . 3 . Adramiteno.

770

Vfsuardus Monachus sub Carolo Ma
gno.

800

Theophylactus Bulgariae Archie
piscopus sub Michaelē Græco.

900

Ado Archiepiscopus Treuirorum sub
Rudolpho.

1057

Nicephorus Callistus sub Emanuele
Paleologo.

1100

Georgius Cedrenus.

1130

Bernardus abbas Claræuallensis sub
Henrico quarto.

1118

Hugo de S. Victore sub Hérico quin
to.

1130

Rupertus abbas Tuitiensis sub Hen
rico eodem.

1124

Gratianus Decreti concinnator sub
Friderico primo.

1154

Euthymius sub Alexio Cæsare Græ
co Constantinopol.

1180

Hugo

Anno Christi.

Hugo Cardinalis Carenfis sub Frede-
rico 2. 1262

Albertus Magnus Diui Thomæ ma-
gister sub Rudolpho 2. 1254

Thomas Aquinas sub Rudolpho 2.
1274

Bonauentura vacante Imperio. 1280

Symeon Metaphraftes.

Ioanes Lucidus.

Petrus Dorlandus Monachus Car-
thusianus sub Maximiliano. 1.

1490

Baptista Mantuanus Carmelita sub
Maximiliano. 1. 1490

Erasmus Roterodamus.

Ioannes Eckius.

Conradus Vuimpina à
Fagis.

Iacobus Faber Stapulen-
fis.

} sub Caro-
lo V. Ro.
Imp. 1536

Ioannes Driedo.

Christiani Massæi Chro-
nicon mundi.

Corne-)

Cornelius Iansenius
primus Episcopus
Gandauensis.

sub Maximi-
liano 2.

Petrus Canisius pres-
byter Societatis.

1568

Sixtus Senensis Mo-
nachus Predicator.

Melchior Canus Episcopus Canariæ
sub Maximilian. 1569

Cæsar Baronius presbyter sub Rudol-
pho. 2. 1580

Christianus Adrichom. Delphus in
descript. Ierusalem. 1585

CARMEN

CARMEN IN LAUDEM

S. Annae Auiæ Christi, Rodolphi
Agricolæ Frisij, acuta iam
febre leuati.



Anna parens summæ genitrix veneranda
Parentis:

Quæ pandis populis prima salutis iter.
Atque paris Matrē: cuius quem nō capit
or bis.

Ipsæ libens subiit viscera casta Deus.

Te cano, tu sancti posco mihi carminis haustus

Ingere, voce sacra pectora nostra rigans.

Ast mihi si centum sint vno pectore mentes;

Et totidem linguas, tot moueamq; sonos:

Nulla tamen te digna queam preconia laudum

Dicere, nec meritis te cecimisse modis.

Exuperat quoniam mortalis carmina laudis

Virtus: qua superas sidera summa poli.

B

C A R M E N I N

Gloria maior & hæc: cui non certauerit vlla:
 Quam tibi præ cunctis filia clara tulit.
 Filia: qua maius nihil est meliusve creatum
 Germine mortali, filia Virgo Parens.
 Filia, quæ summo potuit deducere cælo
 Corporis & nostri claudere veste Deum.
 Quamq; vocat matrem summi sapientia Patris
 Et matrem trepidi nos miserumq; genus.
 Natus ab hac ille est & matrem natus honorat,
 Audit & humanas hac prohibente preces.
 Anxia quam nunquam miserorum vota fatigant
 Sed placidam mæstis porrigit atque manum.
 Hancq; petit sibi spem, cui nil sperare relictum est.
 Hanc portum medio naufraga turba mari-
 Visceribus parta est hac Anna tuis, & ouanti
 Gaudia magna Patri, gaudia fersq; tibi.
 Utq; futura fuit: quæ post suspiria risum
 Gaudia post lacrimas, lætitiãq; daret.
 Nata statim meruit sic exhilarare parentes
 Auspiciũq; ortus gaudia ferre sui.
 Scilicet istud erat, quur spes dilata parentum
 Torqueret cupidos per sua vota diu.
 Cœlitus & frustra tribui sibi sæpe rogarant
 Prolem: nec possunt flectere vota Deum.

L A V D E M B. A N N A E.

Iam sinerentq; preces, iam tristia pectora meror
Et desperantum clauderet ora dolor.
Istud erat, lata caperent quo munera mente
Difficiliq; foret gratia plena bono.
Quod venit ex facili: faciles segnesq; tenemus.
Quod spe, quodque metu torsit habere iuuat.
Quin decuit tantum longa expectatio partum:
Et magnum magnas anteuenire notas.
Ergo bonus Ioachim, steriles cum degeret annos:
Atque foret superum munere prolis egens.
Forte pios venit templis vt ferret honores,
Et sibi placaret victima casa Deum.
Protinus horrendum verbis & voce Sacerdos:
Intonat, & sacris iussit abire locis:
Otius heus inquit: procul hinc procul ito prophan.
Ne te grata Deo munera ferre putes.
Nec mihi credideris: Deus est cui credere debes,
Ille tuas clausa reycit aure preces.
Ni faceret: pridem coniunx tua foeta fidelem
Augeret populum munera laeta Dei.
Nunc neq; prole iuuas gentem: benedictio nec te
Sacra Dei tangit, tu quoque cede sacris.
Cede sacris, aras donis nec pollue spretis:
Qua neque grata Deo, nec mihi grata dabis.

CARMEN IN

Dixerat Antistes: Ioachim nihil hiscere contra
 Sed rubet, & mœstum fert celer inde gradum.
 Intq̄ salutatam vitæ thalamiq̄ sodalem
 Linquens, alta gregum pascua saxa petit.
 Pastorumq̄ fida manus, quibus abditus ille
 Et gemitu pectus vexat: & imbre genas.
 Inde manus oculosq̄ ferens ad sidera celi
 Sic inquit, gemitu præpediente sonum.
 Quem coluere Patres Abrahamq̄ Isaacq̄ & Iacob
 Sancte Deus: qui audis omnia: quiq̄ vides.
 Scis ut mente tibi sim cordeq̄ deditus omni
 Et mihi quæ vires sunt, tua iussa sequar.
 Terogo quando nequit vis hoc humana mereri
 Quod veneror: dignum teq̄ piūq̄ putes.
 Et mihi da charam secunda coniuge prolem,
 Atque piū liceat nomen habere Patris.
 Nec tam prole super moueor, moueor licet ipsa
 Multum fas sit, & haud improba verba precer
 Quam mihi ne cultusq̄ tuus soluendaq̄ dona
 Obsint, atq̄ piè te coluisse veter.
 Utq̄ licere sciam: tu quouis munere firma
 Aut prole aut alio: sed rogo prole magis.
 Sic ait: ast illi cælesti missus ab arce
 Nuntius assistit talia verba ferens.

L A V D E M B. A N N A E.

Parce Deum lacrimis incessere, parce querelis.
Audiris, iubet hæc me tibi ferre. Deus.
Vade domū, dabitur tibi: quod petis, Anna tumētes
Prole feret gaudens vxor amata sinus.
Hæc erit: vt dicas: est tanti cuncta tulisse
Tam clarum populis proferet illa decus.
Dixit, & in tenues sublatus protinus auras
Fulminis vt rapidi stridula flamma fugit:
Ille stupens facieq; in terram pronus adorans
Voce Deo grates fert dupliciq; manu.
Luna sed in terra quinos compleuerat orbes
Nescia coniugy dum foret Anna sui.
Seu viuat Ioachim, seu mortis cesserit atra
Vt quoq; mos trepidis: pessima quæq; timet.
Aduenit & moestam solatur Nuncius idem
Et pavidam mentem spe meliore fouet.
Inde domum letus Ioachim redit: omnia constant
Pollicitis, nono mense fit Anna parens.
Non animis, nõ voce puto leue claudere cuiquam
Quis fuit his recti, quis pietatis amor.
Qua meruere sacri virtute fideq; Parentes
Vota ferant tantis vt cumulata bonis.
Grandis enim meriti celestes cernere vultus
Cernitur, & Gabriel proximus astat eis.

C A R M E N I N

Grandeque iam veteris solatia sumere luctus
 Attulit & Cælo, nuntius almus opem.
 Grande ratas precibus natura vertere leges,
 Verterunt: sterilis fit modo læta parens.
 Et magnum fecisse Deo non irrita vota,
 Vincit at illorum spemque precemque Deus.
 Quid tantam prolem? quando hæc est omnia supra
 Maior & humanis nobiliorque bonis.
 Sed tamen accipiunt, & quum contingere votis
 Cætera non sperent: hoc neque posse putent.
 Nascitur ergo, sacrisque salutat fletibus orbem
 Quæ mundi lacrimas tollere prima venit.
 Virgo maris, terræque decus, decus ætheris alti
 Nascitur, & roseo percipit ore diem.
 O dulcis pietas, o gaudia, quis fuit illic
 Plaudendi, trepidis lætitiæue modis.
 O si sancta scias mater, solatia mundi
 Quæ dabit hæc: oculis quam manibusque tenes.
 Utque hi hæc quondam summum paritura Tonantem
 Et mortale Deo compositura genus.
 Lætitiæ tantæ satis unà ne pectora credis?
 Totque tuo poterunt gaudia corde premi?
 Ut sine spe mater fias, natæ quoque mater:
 Cui matris decus, & virginis adsit honos.

L A V D E M B. A N N A E.

Quodque sit his maius, nate, que foeta superno
 Flatu. hominem simul & sit genitura Deum.
 Salve sancta parens: & tu nata inclita salve.
 Quas caro, quas pietas, has quoque iungat honor
 Natam mater amas, & nata mater amaris,
 Laus capit vna duas: vt tenet vnus amor.
 Bis tamen Anna potens hoc partu, bisq; beata
 Es prolis titulis nobilis atque tuis
 Conspicuos praestant alios benefacta parentum
 Tu contra Nata nobilitate nites.
 Magna quidem meritisq; tuis pietate fideq;
 Quis neget? at Nata hac splendidiora facit.
 Acceptumq; refert munus tibi maximus orbis
 Hanc: post dona Dei cui bona cuncta refert.
 Hester quod populum scelerati fraudibus Aman
 Eruit: & Regis mitior ira fuit.
 Iudith & Hebraeis ferrum flammisque minantem
 Hostem tartareas fecit adire domos.
 Laudibus & canitur Iudith & laudibus Hester
 Semper, & aeternum nomina clara tenent.
 Et tamen exiguos perituris addidit annos
 Vtraque, & haec meriti summa duabus erat.
 Ne vita nec opum fieret ferus arbiter hostis,
 Ne natus ferat, aut vxor amata iugum

C A R M E N I N

Magna quidem fragilis, sed vitæ munera quæq;
 Sint qui habeant, sint qui non habuisse petant.
 Quanto tu maior, quanto felicior Anna
 Quæ das: quo mulier plus nihil vlla tulit:
 Natam quæ cælo Dominum deduxit aperto
 Rursus & ad Cælos, huic patefecit iter.
 Natam quæq; Deiq; hominum commertia prima
 Reddidit, & pacis ianua prima fuit.
 Quæ non hostiles clades, non barbara ferri
 Vincula, nec quantum flamma fameq; queunt.
 Non quantum mare, terra queunt ætheræ minari,
 Coniurent licet & perdere cuncta velint.
 Sed quæ repulerit veterem cunctosq; prementem
 Iram, quam meruit per genus omne parens.
 Dirasq; nobis terras dedit: æthera clausit,
 Prorsus, & abruptit fœdera cuncta Dei.
 Quam sequitur: quicquid cælo terraq; timemus
 Et labor & dolor & mors fera dente minax.
 Hanc vicit tua nata Parens, seuumq; leonem
 Vertit, & hunc agnum præstitit esse Dei.
 Et Dominum summis in se detraxit ab astris
 Parere culpæ hominum factū hominemq; docet.
 Tu fœlix igitur & tanta prole beata
 Anna precor nostras sume benigna preces.

L A V D E M B. A N N A E.

Quod petis atque facis: natā tu mater adhortans
 Vota simul iunctæ reddite nostra Deo.
 Non erit, vt quisquam duce te diffidere votis
 Debeat: ora tu fac modò vota inues.
 Te duce quisq; ferat rectos ad sidera vultus
 Nec timeat vanas, inualidasq; preces.
 Nil tibi nata negat, nil & negat ille parenti
 Ille colit matrem, te quoque nata colit.
 Ergo voca matrem te: se vocet illa parentem
 Tuque tuum tibi ius, asserat illa suum.
 Iam nihil exposcent mortalia pectora frustra
 Quodque voles: simul id nata Deusq; volent.
 Scilicet hæc ita sunt: & non decepta rogantum
 Spes facit: vt precibus te, lacrimisq; petant.
 Te iuncti fugiunt morbi, pallorq; dolorq;
 Noxia quæque animo, corpore quæque sedent.
 Quidquid id est: hominum quod curas cordaq; lassat
 Te fugit vt ventos nubila pulsa solent.
 Quumq; foret laudi nostræ nimis alta perennis
 Astra tenes, superis quod sociata choris.
 Quod tua sublimem te misit ad æthera virtus
 Mira quidem miris muneribusq; potens.
 Vitaq; per omnes numerosq; gradusq; probata
 Cui laus, quæ paucis morte venire solet.

C A R M E N I N

Alloquij superum consors: & læta stupendis
 Donis, nec solita fertilitate parens.
 Quū minus hæc laudi, nūc quis te laudibus æquet?
 In nos tot meritis quum tibi crescat honor.
 Illa quidem sunt summa: sed hæc tua gloria nobis
 Gratiior, & miseris blandior iste fauor.
 Te positam cælo lætam & sine fine tenentem.
 Prendere mens hominis quæ nequit osue loqui.
 Fælicem tamen hunc terris aduertere vultum
 Inque bonis tantis nostra videre mala.
 Quod tunc tuo fletu docta es succurrere flenti,
 Tristibus & lætam ferre piamq; manum.
 Nemoq; quod iustis precibus tua numina pulsans
 Sollicitis frustra vocibus orat opem
 Hinc tibi nomen & hinc veneratio sacra parentis
 Et qui te sequitur: maximus orbis amor.
 Hinc spectanda nites trepido fiducia mundo
 Nocte velut tumido fulgida stella mari.
 Teq; petit sexus, petit ætas omnis, & ordo,
 Teq; gradus omnes diues inopsque petunt.
 Lubrica tu firmans fortuna munera præstas
 Ne fugiant nostros lapsa repente sinus.
 Et bona quæ miser hic vita sibi postulat vsus
 Aggeris: & rursus iam fugitiua refers.

L A V D E M B. A N N A E.

Maternas partu tibi fert mater tibi castas
Casta memor nata virgine virgo preces.
Praesidiumq; petit curis quibus aestuat vnum
Pectus: adhucque rudis: corde micante pudor.
Sunt: quos fama procax facta atq; infecta canendo
Opprimit, & populi vox facit vna reos.
Sunt: quos tristis agit luctus lachrymaeque cadentes
Semper & assiduis imbribus orantant.
Sunt: quos saeuus amor telis furialibus vrget
Et pedibus victor colla retorta premit.
Posceris auxilio, tu vulgi comprimis ora,
Tuluctus releuas, & tibi cedit amor.
Cedit amor, cedunt vna dolor ira, paransq;
Iam laqueos, iam enses, iamque venena furor.
Dirus & in dubijs augur timor attulit ad te
Nec vacuum sensit pondus habere preces.
Seu quem terga premens sequitur vis hostis, & aut
Carceris obscuri vincula saeva tenent (quem
Seu gemit, inque horas cervicem tradere ferro.
Carnificisque putat colla secanda manu.
Ille fame, hic flammis, vitam dare rupibus alter
Pracipitis scopuli membra rotanda timet.
Quid tumido dicam: qui pendet nauita fluctu
Et iactant laceram flatus & vnda ratem?

C A R M E N I N

Quid vastis cinxit quem siluis ira ferarum
 Prædonumue furens non minus ira feris.
 Tu cunctis tu tamen ades, te præside fidunt
 Quosque suus metus: & quos alienus agit.
 Fidaq; non spernis suspiria mater amantum
 Grataq; pro charis soluere vota iuuat.
 = Certa loquor, magnisq; mihi comperta periclis
 Hæc q; reus voti carmina reddo mei.
 Namque ferox languor stratis afflixerat ægrum
 Non vis non color, aut corpus vt ante manet.
 Victor adest morbus: mors ad caput ore cruento
 Horrida terribili concrepat arma manu.
 Frigore iam febris corpus iam coxerat æstu:
 Æstu quo rapido non calet Æthna magis.
 Æstum qui vires, venasq; resoluerat omnes,
 Quique animo tantus; corpore quantus erat.
 Concutiens subito mores mentemq; furore,
 Verbaq; iam votum, mors quoque visa foret.
 Illa potens herbis ars, sacraq; cura medentum
 Cessit, & ingenium vicerat omne dolor.
 Quid faciam? quid sperè? què precer? Anna parens
 Vt spes vnâ fuit: sic erit vnâ salus. (hæc
 Hæc modicum numen simul attulit: ilicet agris
 Artubus ac animo vita vigorq; redit.

L A V D E M B. A N N A E.

Hinc adeo flagrent quouis mea pectora motu
Ardeat & curis mens animusq; mihi,
Atque premant magna quantumuis fata ruinae
Anna vocata mihi dulce levamen ades.
Tu mihi certa salus, in te mea vita recumbit:
Tu dux, tu portus, tu requiesq; mihi.
Te dicent igitur mea Carmina, laus tua semper
Vivet, & insigni nomen honore feram.
Quantum voce queam quantum contendere lingua
Quantum animo: quantum flatibus, ore, cheli,
Laus erit: Anna tibi decus Anna. Annã canet orbis
Annãq; pro sacro numine nomen erit.
Postq; Deum, cui prima redit laus omnis in ævum
A quo laus, decus & gloria cuncta venit
Postq; tuam natam laus est hæc summa parentis
Tertia stans triplicem que facis Annã chorum
Laus tua dicetur, tua gloria, tu quoq; semper
Proxima cum primis iuncta duobus eris.
Ergo ades, & perfer suspiria nostra Tonanti:
Utq; ferat placidus crimina nostra: roga.
Posce bonam mentem nobis, & dedita menti
Dedita nec vitijs corpora foeda suis.
Sint validæ vires, sit opum moderata facultas
Famaq; quam metuat tangere liuor edax.

CARM. IN LAVD. B. ANNAE.

*Si tamen hac profint, si non, procul omnia sunt.
Et iubeas laxo fundere cuncta sinu.*

*Quod satis est caelo sit vita se quoque mortis
Non properanda ferat, non fugienda dies.*

*Pluraque velamen cum corporis exuet huius
Mens teneat summi splendida templa poli.*

*Hoc pater, Anna velit mundi fac maximus Autor
Hocque tuae Natæ Natus & ipse velit:*

*Hoc sacer amborum velit ardor Spiritus vnus
Viuat quique triplex secula cuncta Deus.*

Hos versus Rodolphi Agricolæ Frisij, in honorem Diuæ Annæ aliquando per ipsum ex voto factos, Theodoricus de Pleningen, Iurisconsultus ipsius Discipulus haud ingratus, tum ob Præceptoris viri doctissimi memoriam: tum ob memoriam Diuæ Annæ exscribi, & hoc in Carmelitarum Francforti sacellum, & eo quo videtis modo reponi curauit. Anno Salutis 1496. xx. Maij.

Hanc D. Annæ Genealogiam à R. P. Laurentio Cupero, Carmelitici instituti in Belgio Prouinciali conscriptam, nos subscripti vtiliter in lucem mitti posse censemus hac 26. Aprilis 1591.

*Henricus Cuykius Detanus
S. Petri Louanij & Pontificius ac Regius Librorum
Censor.*

Samuel Loyarts S.T. Doctor.

Priuelegij Sententia.

CAutum est Priuelegio Regio, ne quis alius à Ioanne Bello Bibliopola & Typographo Antverpiensi libellum imprimat cui Titulus est. *S. Anna Iesu Christi Saluatoris nostri Auiæ materna ex vetustissimis Ecclesiæ Doctoribus studiose collecta Genealogia & vita, F. Laurentio Cupero S.T. Licent. Carmelitarum Infer. Germania P. Prouinciale, &c. Authore:* Neue alibi impressum venum exponat aut distrahat ante sexennium. Sub penis in Priuelegio contentis Act. Bruxellis XXV I. Iulij 1591. & subsignat.

I. de Buschere.



S. A N N A E

CHRISTI SERVATORIS

NOSTRI AVIAE MATER-
ne, ex optimis & vetustissimis Ecclesiae Do-
ctoribus studiosè collectae

GENEALOGIA ET VITA.

*Semotis hinc omnibus confictis quas veteres
ignorarunt historiis.*

P R A E F A T I O .



M A G N O & excellenti ingenio
Iesus ille Sirach in libro suo
quem Ecclesiasticum in Bibliis
sacris appellamus; Laudemus
ait, viros gloriosos & parètes
nostros in generatione sua. Elegans pro-
fecto & digna quam sequamur commo-
nitio. Donum siquidem quodcunque,
omneque adeo munusculum, quamlibet
exile sua laude dignum est, sed Dijs, ut do-
cet Aristoteles, & Parentibus æquiua-
lens

Eccle. 44.

C

lens

*Rom. 11.**Eccl. 1.**Ioan. 1.**Ioan. 1.**Tob. 4.**Ioan. 16.*

lens nullum reddi potest, utpote qui summa in nos contulerint beneficia. Nam si Deum contempler ex ipso, & in ipso, & per ipsum sunt omnia, ut enim è maribus icaturiant & ad locum unde exeunt flumina reuertuntur ut iterum fluant, ita & de plenitudine eius accepimus omnes gratiam pro gratia: adeo ut perspicuum sit omne datum optimum & omne donum perfectum, desursum esse, & à Patre luminum descendere. Porro quid à parentibus habeamus, nempe natiuitatem nostram, educationem, hereditatem, aliaque multa, passim docent sacræ literæ: Memor enim, ait Tobias Pater filio suo Tobie, esse debes quanta pericula in utero suo mater pro te passa sit: quod nec Christus tacuit dicens, Mulier cum parit tristitiam habet. Æquissimum igitur fuerit, ut Dominum & parentes generis nostri laudemus, quamquã non simus id quidem nescij, Deo videlicet ex nobis nihil gloriæ re ipsa accedere posse. Ut enim omnia flumina influunt in mare, & mare tamen non redundat, remittit enim ea mare ad loca unde fluere cœperat, ut ite

rum

rum fluant, sic neque Deus nostra gratitudine fit maior aut gloriosior: attamen humano loquendi modo, magnificare Deum dicimur, quando omni cultus genere, puta laudibus, honoribus, veneratione, imitationeque, summa cum gratitudine redemptionem nostram (quam fecit per carnem & sanguinem suum quem ex humanis parentibus assumpsit) annunciamus, decantamus, extollimus. Si proinde corporum nostrorum parentes, ex quibus in iniquitate concepti sumus & nati, honorare iubemur, multo magis parentes Christi, ex quo salus nostra processit laudabimus, honorabimus, venerabimur. Et quoniam, quæ in omni scripto theologico primas sibi vendicat, pietas est purus ac debitus cultus erga Deum, erga parentes, & patriam, ut Diuus Augustinus docet, dubio procul affectus hic meus in Auos Christi & Proauos, pietas est in Dei filium; si Christus Dei viui filius est. Ut igitur pietas in diuos diuaque augeatur magis, rixaque de iisdem fit multo minus, consilium votumque meum est, quod à paucis tentatum est,

*Exod. 20.
Psal. 50.*

Christi Redemptoris nostri parentes, auos paternum atque maternum, proauosque attauosque; peculiari libello celebrare, est enim ad laudem primus gradus quos laudes rectè nouisse, videlicet quomodo fratres, quomodo sorores, quomodoque patres quidam appellandi veniant, & quam prope se cognati contingant; vsque adeo in disquirendo dinoscendoque; propinquitatis modo, variæ difficileque; existunt quæstiones, quæ etiam quosdam eximiè doctos viros multum exercent, acriter torquent, varièque; discindunt, quia non omnes expresso Dei verbo continentur. Quoniam ergo non desistit ad laudem parentum nos ille Siracides extimulare, superest vt Christi parentes ex sanctorum Patrum libris, aut certa traditione, maximè vbi earundem scripta in aliquibus propinquitatis modis dissentire videtur ego vt inuestigem. Vos interim, State, ait Apostolus, & tenete traditiones siue per sermonem viuæ vocis traditas, siue per epistolam librosque scriptos, quos inuestigare expèdereque conabor. Simplicem humiliorèque forsitan stylum non excuso, co-

thur-

2. Thess. 2.

thum nos non habeo, sed quosdam & ar-
 busta iuuant, humilesque myricę recreāt,
 capiunt, oblectant. Igitur vt illustrandę
 veritatis officio debita satisfaciam cū lau-
 de, ipse mihi Dominus Deus Pater coele-
 stis inuocandus primum est, vt qui per Fi-
 liū suū Iesum Messiam secundū hominē à
 suis parentibus prognatū, multitudinem
 magnitudinēq; suę glorię quā habet ab æ-
 ternitate declarauit, parentes quoque fi-
 lij sui propinquiores hoc scripto nostro
 Lectoribus innotescere faciat. Inuocādus
 quoque mihi ipse Iesus Messias Dei viui
 filius, vnicus & dilectus, vt eosdem parē-
 tes ex quibus homo factus est laude con-
 digna prosequi possim, nam affectus hic
 in parentes, pietas in filium est. Ipse quo-
 que mihi inuocandus est Spiritus sanctus
 vnus cum Patre & Filio indiuiduus Deus
 qui sacrum & intemeratum ventrem ma-
 tris Iesu non virili semine, sed mystico
 suo spiramine complens, vsus potestate
 creatoris, fructum talem super sedem Da-
 uid posuit. Tuq; demum Deipara Virgo
 mater Iesu, eundem interpella pto nobis
 Spiritum sanctum, qui superueniens in te

2. Cor. II.
Philip. 3.

pectusculum tuum virgineum consecrauit templum diuinæ Triadi, & illibatum vterum tuum officinam fecit huius admirandi partus, vt mentem nostram collustret in hoc argumento, omniaque parentibus tuis digna, mihi commonstret, vt eorum vitâ effingere purius possimus. Errant enim toto cœlo, qui Diuorum vitas contemnentes, se Christum solum sequi malle blaterât, nesciût enim isti quod à finitimis & cognatis procliuior sit trāsitus, quod bene Apostolus considerans dixit: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Vt ergo nemo repente fit summus, ita gradibus adire cacumen tutissimum.



An



*An Maria, Iosephi coniugis, parentes
incogniti?*

Caput primum.



Vamplurimum sanè derogauerit nobilitati Saluatoris nostri Iesu, si tanquam terræ filius quispiam obscurus habeatur, & nesciatur illa cuius fuerit filia, & hic quo patre satus & procreatus. Id ergo primum expediam; tenet enim quosdam adeo insanabile contradicendi cacoëthes, vt sicubi aliquos cauillos nancisci possint, protinus ab omnibus receptam tamen longissimoque tempore confirmatam sententiam orthodoxam audeant impugnare. Obiiciunt nobis Chrystostomum vbi dicit: Iosephi generatio ostenditur, Virgo autem quæ eius mater est non ostenditur, ex quibus parentibus, auis, proauisque nascatur. Hæc ille. Ex quibus verbis historiam de S. Anna vt fabulam exhibilant, quia Chrystostomus suis temporibus nomen aui & auix Christi incognitum fuisse scribat. Et mirum quam exultent victoriamque

*Obiecto.
Homilia
i. operib.
imperf.*

*Caesili
amatio.*

*Contra
Faustum
libr. 23.
cap. 9.*

canāt isti: Nostris, inquit, temporibus subito
increuit superstitio vt maluerint supersticiosi
dicere: Ora pro me Anna cum filia, quā dice-
re Christe exaudi nos: Aras, templa, sacerdotia,
festa, fraternitates Annæ aucta videmus hoc se-
culo, quæ nobis pueris ignota erant. Talia ex
hoc futilissimo argumento impij colligunt
ecclesiæ sanctæ catholicæ Romanæ hostes, qui-
bus respondendum est libri illius autorem, quis
quis ille fuerit (nā Chrysostomi non esse satis
inter doctos constat) non negare quin alicundē
ostēdi possit, quibus auis proauisq; maternis vir-
go Deipara sit nata, sed ex illo Matthæi loco euā-
gelij (de quo homilia eius est) certum non esse:
quod verum est, sed multa sunt quæ in hoc euā-
gelij loco non sunt expressa quæ tamen firmi-
ter Ecclesia credit. Quinimō ex euāgelio sancti
Lucæ auos & proauos Christi postea fauore Nu-
minis docebinus ostendi posse. Et quanquā ex
euangelij non omnia quæ de parentibus Ma-
riæ & Iosephi coniugis eius Ecclesia tenet cog-
nosci possent, attamen ea partim ex euangelio,
partim ex sanctis Ecclesiæ Patribus, Ignatio, Hie-
ronymo, Cyrillo Alexandrino, Ioanne Damas-
ceno, feruentissimis Mariæ cultoribus, & eiusdē
contra varios hostes hæreticos (Heluidium, Ne-
storium, & cæteros) propugnatoribus ostendi
possunt, quos omnes suo loco producam. Sed
quoniam beati quoque Augustini verba nobis
opponere possent, ea adducam, & sunt hæc:
Quod

Quod, inquit, Maria patrem habuerit ex tribu
 Leui sacerdotem quendam nomine Ioachim,
 quia canonicum non est, non me constringit.
 Et iterum eodem capite; Si mater illius Ioachim,
 quem patrem Mariæ Faustus commemorat, de
 tribu Iuda & genere Dauid nupsit in tribu Le-
 ui, non immerito & Ioachim & Maria, & Ma-
 riæ filius, etiam sic ex femine Dauid veraciter
 perhibetur: hoc ergo vel tale aliquid potius cre-
 derem, si illius apocryphæ scripturæ, vbi Io-
 achim pater Mariæ legitur, autoritate detinerer,
 quam mentiri Euangelium. Ex quibus B. Au-
 gustini verbis historiam de S. Anna & Ioachim
 non esse canonicam, sed apocrypham colligi
 posset, ideoque nec pro vera indubitataque reci-
 piendam, verum pro conficta fabella in medio
 relinquendam, ac adiaphoram indifferentemq;
 (sive credas sive non credas) relinquendam. Re-
 spondendum est hanc non fuisse mentem Diui
 Augustini. Apocrypha enim bifariam intel-
 liguntur: Priore modo apocrypha habentur ea
 scripta quæ tametsi vera & certa sunt, & ab Ec-
 clesia tacito consensu recepta, ideo tamen apo-
 crypha appellantur, quia eorum scriptor vel
 author ignoratur. Posteriore modo, illa nomi-
 nantur apocrypha, vt scribit Ioannes Driedo, de
 Dogmatibus Ecclesiasticis, & post hunc Sixtus
 Senensis in Bibliotheca sancta, quæ absconditæ,
 ignotæ & incertæ sunt autoritatis, quia ecclesia
 stici patres diffinire ausi non fuere, vtrum
 C 5 essent

*Impugna-
tio alia.*

Solutio.

Li. I. ca. 4.

essent à scriptoribus suis ignotis etiam illis à Spiritu sancto afflatis conscripta, & propterea noluerunt ea, vel ad confirmationem dogmatum Christianæ fidei, proferri, vel ad plebis edificationem publicè in ecclesia legi, aut in templis pronuciari, sed priuatim & domi tantum, quales sunt tertius & quartus Esdræ libri, appendix item in Esther, atque his affines scripturæ. Solet etiam in Decretis Pontificum apocryphi nomen ad interdicta & damnata prorsus hæreticorum scripta interdum referri. Hæc Senensis. Quanquã igitur B. Augustinus contra Faustum, disputans nominet apocryphum illud scriptum in quo Ioachim legitur pater Mariæ & Anna esse eiusdem mater, non idcirco hoc facit, vt interdictam, damnatam aut falsam esse hanc historiam assumet, sed vt ostendat primũ huius scripti autorem apocryphum id est ignotum fuisse primitiue patribus Ecclesiæ, tametsi ipsam historiam crediderint esse veram, saltem hac in parte qua narratur Mariæ Virginis patrem esse Ioachim, & coniugem eius Annam Mariæ matrem esse. Epiphanius enim contra Antimarianos scribens, Ioseph Mariam nouerat, inquit, formatione mulierem & sceminã natura ex matre Anna, & ex patre Ioachim, & cognatam Elizabeth ex familia David; non nouerat autem quod tali gloria honorandus esset aliquis in terra, maxime mulier aliqua. Neq; Diuus Augustinus hanc reiecit aut vilipendit historiam

*Libr. 3.
Tom. 2.*

historiam B. Annae, sed quia Faustus iste haereticus Manichaeus, Iudeorum perfidiam propugnans Catholicis obiebat, Mariam de tribu & sanguine Regis David non esse, in qua nec patrem nec matrem vnquam esset consequuta, eò quod pater Virginis Ioachim de stirpe Sacerdotali, seu de tribu Leui scribitur fuisse: ea propter si alterutrum, inquit Augustinus, scriptum esset reiiciendum, potius hoc reiicerem, quam crederem mentiri Euangelium, quod aperte docet Christum ex David semine latum esse. Eò collimabat Augustinus, vt Mariam & eius filiũ de regia simul & sacerdotali stirpe natos assereret. Quapropter in Opere de consensu Euangelistarum; Mariam ait, de stirpe David aliquam consanguinitatem duxisse, dubitare vtique non debemus: cuius foeminae quando nec Sacerdotale genus tacetur insinuante Luca, quòd cognata eius esset Elisabeth, quũ dicit de filiabus Aarõ, firmissimè tenendum est, carnem Christi ex vtroque genere propagatam, & regũ scilicet & sacerdotum, in quibus personis (Sacerdotibus nempe & regibus) apud illum populũ Hæbreorum etiam mystica vnctio figurabatur, id est, Chrisma, vnde Christi nomen elucet. Hac Augustinus. Sanè si quis diligenter obseruet, videbit in diuina scriptura coniunctionem matrimonij inter tribum Pontificiam & Regiam aliquoties accidisse: Aaron siquidem de tribu Leui accepit vxorem Elisabeth, filiam Aminadab de tribu

*Libr. 2.**Cap. 2.**Luca 1.**Exod. 6.**2. Paral.**22.*

*De ortho-
doxa s.
de lib. 4.
cap 15.*

tribu Iuda sororem Naasson. Et iterum Iosabet
filia Iorā regis Iuda nupsit Ioiadæ pōtifici de tri-
bu Leui. Rectē igitur Epiphanius Ioachim ex
tribu regia seu ex domo Iuda duxisse Annam ē
tribu Leui scribit. Confirmat eandem senten-
tiam Ioannes Damascenus hisce verbis: Ex serie
Natā filij Dauid, Leui genuit Melchi & Panter.
Pāter genuit Barpāter. Barpāter genuit Ioachim
Ioachim genuit S. Mariā. Ex serie autē Salomo-
nis filij Dauid, Matthā duxit vxorē ex qua genuit
Iacob. Mortuo enim Matthā, Melchi qui erat ex
tribu Natā, filius Leui frater verò Pāteris sump-
sit sibi vxorē viduā Matthā, matrē Iacob & Eli:
Iacob quidē ex tribu Salomonis, Eli verò ex tri-
bu Natā. Defuncto autē Eli ex tribu Natā sine li-
beris, accepit Iacob frater eius vxorē & suscitauit
semē fratri suo & genuit Ioseph virū Marię. Hęc
Damascenus, qui quanquā in explicatione modi
quo descēderit Ioseph ex familia Dauid, nō om-
nino cōuenit cū Eusebio Cæsareæ Episcopo, &
Iulio Africano, atq; Ambrosio Episcopo Medio-
lanēsi, vt infrā ostēdā, attamē in hoc consentiūt
omnes Ioachim & Annā de regia & sacerdotā-
li prosapia natos, parētes esse Marię virginis ma-
tris, atque huius coniugem esse Ioseph. Quibus
& irrefragabilis fidei autorem Diuum adiungo
Hieronymum scribentem in hæc verba: Igitur
beata & gloriosa semp̄rque Virgo de stirpe
Regia & familia Dauid oriunda, in ciuitate Na-
zaret nata, Hierosolymis in templo Domini
enutrita

enutrita fuit. Pater eius Ioachim, mater verò Anna dicebatur. Domus paterna est ex Galilæa & ciuitate Nazareth. Maternum autem genus ex Bethlehem erat. Vita eorum recta & simplex apud Dominum, apud homines irreprehensibilis & pia. Hæc ille. Quanquam Erasmus Roterdamus nulla producta causa hanc non esse diui Hieronymi epistolam censet. Sixtus autem Senensis de eadem epistola sub litera M. ita scribens, Matthæus Euangelista fingitur, inquit, esse autor duorum librorum, quorum alter De ortu siue stirpe Mariæ, alter De infantia Saluatoris inscribitur, qui Valentinorum & Gnosticorum commenta sunt. His libris inepti quidam auctoritatem asserere cupientes, Præfationes addiderunt sub nomine Chromatij & Heliodori Episcoporum ad Hieronymum, & Hieronymi ad ipsos confictas, quæ vtrunque Opus testarentur a Hieronymo in gratiam eorundem Episcoporum ex Hæbraico Matthæi volumine translatum, & ab hæreticorum falsationibus expurgatum. Sed cum in his libris eadem nunc extent aniles fabulæ, quas Irenæus in primo aduersus Valentinorum hæreses, & Epiphanius primo Panarij, sectione tertia, ex iisem voluminibus refellunt, palam apparet impostorū deceptio. Gelasius Dist. 15. inter libros ab Ecclesia damnatos vtrunque abiicit. Hæc Senensis. Equidem inuenio Epiphanium contra Valentinus, qui & Gnostici appellantur, Irenæi locum perlongum descrip-

*Censura
eiusdem.
epist. præ-
fixa.
Bibliotheca
lib. 2.*

*Libr. 1.
tom. 2.
Hæresi 31*

*Libr. 1.
Tom. 2.
Heres. 26*

*Libr. 1.
Cap. 17.*

Ioan. 7.

descripsisse, sed nihil omnino, in epistola de natiuitate Mariæ beato Hieronymo attributa, cōperitur, quod in suis libris Irenæus & Epiphanius refellunt: nam sic Epiphanius: Stirpem, inquit, Mariæ, librum quendam esse dicunt, in quo horrenda quædam ac perniciofa exprimentes referunt: exempli causa Zachariam patrem Ioannis Baptistæ, quum suffitum faceret, vidisse à dextris altaris hominem quendam stantem asini formam habentem, & quia visionem eloqui vellet ac dicere: Væ vobis quem adoratis: oris obstructionem pertulisse, sed reddita ei loquela euulgasse visionem, & propterea occisum à populo, cautumque esse vt Sacerdos quando templum Domini ingressurus esset tintinnabula ad fimbriam gestaret pendētia, ne ex improviso deum asinum videret. Quod impiū commentum istic refutat Epiphanius. Irenæus verò reprehendit & aliud Gnosticorum impudens figmentum, scilicet quod Christus puer didicerit literas, & iussisse ei magistrum diceret A. ac Christum respondisse A. iterumque dixisse magistrum diceret B, sed Christum respondisse, dic mihi quid sit A, & ego dicam tibi quid sit B. Hæc Irenæus. Verum quum ex Euangelio clarum sit Christum non didicisse literas, sicut & perspicuum est non Zachariam, sed Aarō gestauisse tintinnabula, intelligimus abunde hæc esse portentosa Gnosticorum hereticorum commenta. Sed quid hæc ad epistolam illā siue verò
sue.

siue falsò D. Hieronymo inscriptam, vbi aniles
 fabulæ nec istæ nec similes extant? quæ quia nil
 nisi rerum gestarum notitiam continet, neque
 secretioris aliquid vel occultioris intelligentiæ,
 quam Gnostici docebant, habet: propterea sal-
 uo semper S. Romanæ Ecclesiæ iudicio, nullum
 labefactandæ fidei catholice in ea periculū est.
 Et nihil in sequenti Opusculo ex ipsa citabimus
 epistola quod nō alijs quoque ecclesiæ patribus
 cōprobabimus. Hoc tantūmodo nunc positū sit
 beatissimæ virginis matris Mariæ parentes inco-
 gnitos non esse, præsertim quādo iā S. Romana
 ecclesia Dormitionem S. Annæ matris eiusdem
 virginis ad septimum Calendas Augusti in Ro-
 manum Calendarium, seu nouum Martyrolo-
 gium inscripserit, sicut & ad decimū quartum
 Calendas Apriles, festum sancti Ioseph sponsi
 gloriosæ eiusdem Virginis, & postridie festum
 sancti Ioachim patris eiusdem Virgunculæ Ma-
 riæ constituit, iussu Gregorij xij. Pontificis
 Romani nuper editum. Græci quoque Concep-
 tionem B. Annæ, qua Mariam eandem conce-
 pit nono die Decembris in suum Calendarium
 siue Menologium retulerunt. Vide Bibliothecam
 sacram Margarini Parisiensis in octo to-
 mos distinctam. Dormitionem quoque Beatæ
 Annæ 26. Iulij etiam Græci sicut nos Latini co-
 limus. Quin & Iustinianum Imperatorem D.
 Annæ decoram & augustam ædem sacram con-
 struxisse Constantinopoli, in vrbs regione se-
 cunda

Libr. I. de
adificijs
Iustina.

cunda sub annum Domini CCCCC XXXV.
autor est Procopius Cefariensis. Sed quomodo
ex his parentibus Ioachim & Anna sit genita
hæc Virgo, quoniam paulo post aptior narran-
di locus erit, nunc quam antiquo itemmate Vir-
go & eius coniunx Ioseph illustres sunt aperiã.

*Quam gloriosa stirpe Ioseph & Maria
clareant.*

CAPVT II.

QVAM sanguine longo horum coniugũ
gentilitia claritas exorta sit, vt infallibi-
liter ostendam, eorundem ex D. Luca
Euangelographo proferam genus, sed alio quã
apud nos est ordine, nimirum inuerso: vt ab A-
dam & Deo altissimo, in quem ipse desinit inci-
piamus. Sicut enim Adam fuit Dei filius forma-
tione de limo terræ, ita & Iesus Messias est na-
tura Dei filius, qui tamen, vt ex Deo diuinitatẽ,
sic quoque ab Adam, id est, ab Homine humani-
tatem in vna persona possidet perfectus Deus,
perfectus homo, equalis Patri secundum diuini-
tatem, minor Patre secundum humanitatem:
qui licet Deus sit & Homo, non duo tamen sed
vnus est, qui proprio nomine Hebraico IESVS,
Græco Soter, Latino Saluator vocatur: cogno-
mine autem Hebraicẽ Messias, Græcẽ Christus,
Latinẽ appellatur Vnctus. Idem hic est admira-
bile

bile illud semen à Deo promissum: ad serpentē dicente, Inimicitias ponam inter te & mulierē, inter semen tuum & semen ipsius, ipsum conteret caput tuum. Hoc semen quis nā homo esset, ex promissione postmodum Abrahamæ facta clarum fit, cui dictum est: In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Non dixit, inquit Apostolus, In seminibus quasi in multis, sed in semine tuo qui est Christus. Qui quomodo per electos & post Abraham circumcisos patres tandē venerit in mundum, per Annam & coniugem eius Ioachim ex Maria eorundem filia, dicam. Ceterum vt altius, quam ab Abrahamā, exordiar, Deus trinus & vnus, postquam infinita sua potentia creauit, inscrutabili sapientia formauit, & ineffabili bonitate donauit fecitque omnia, sex diebus laboris & operationis vespere & mane conclusis, & septimo quietis non clauso nisi ab Homine qui exinde tempus, ex conuersione Solis, vmbra terræ, id est, Noctem propellentis primum numerauit, & viginti quatuor horis seu interuallis Lucem distinxit, in signa singulorum Mensium, & Tempora quatuor triū mensium, atque Dies hebdomadæ & Annos, quorum dierum Primus nempe Dominicus est dies creatæ Lucis: Secundus dies est dies creati aëris & aquæ: Tertius, emergentis terræ & plantarum: Quartus, Solis & Lunæ & Stellarum: Quintus auium & piscium: Sextus Bestiarum, & Adæ, id est, hominis: Septimus benedictus &

*Gene. 3.**Gene. 22.**Gala. 3.*

D

sancti-

sanctificatus atque quietis. In sexto tamen die Adam creatus, coniuge donatus, & præfectus piscibus maris atque animantibus terræ, diabolo per mulierem credidit, hinc peccatum, mors, miseria, maledictio, rebellio, per vnum hominem intrauerunt in homines vniuersos, donec veniret promissum Semen, de quo iam dicebamus Iesus Christus, qui est Via Veritas & Vita, Redemptor & sanctificatio nostra. Inter quem & Adamum elapsi colliguntur ter mille non-genti sexaginta anni. Numerant quidem Oro-sius beati Augustini discipulus & Venerabilis Beda annos quinquies millenos, ducentenos, minus vno, sed nos textum Hebræorum, quem Moses ille maximus & primus Legislator ædi-dit insequimur, vt sequens tabella docet. Cuius prior numerus Annos Mundi, secundus ordinē Patrum Christi, tertius Iudices Israeliticos de-signat.



Deus

<i>Anni mūdi.</i>	<i>Or do Pa. Ch.</i>	
I		Deus sexto sæculi primi die, fecit hominem ad imaginem & similitudinem suam, masculum & foeminam, Adam & Heua. Genesis. 1.
130	1	Adam annorum centum quinque genuit Seth, & nongentorum triginta mortuus est.
235	2	Seth annorum centum quinque genuit Henos, & nongentorum duodecim mortuus est.
325	3	Henos annorum nonaginta genuit Cainam, & nongentorum quinque mortuus est.
395	4	Cainam annorum septuaginta genuit Malaleel, & nongentorum decem, mortuus est.
460	5	Malaleel annorum sexaginta quinque genuit Iared, & octingintorum nonaginta quinque mortuus est.
622	6	Iared annorum centum sexaginta duorum genuit Henoch, & nongentorum sexaginta duorum mortuus est.
687	7	Henoch annorum sexaginta quinque genuit Mathusale, & trecentorum sexaginta quinque translatus est.
874	8	Mathusale annorum centum octoginta septem, genuit Lamech, & nongentorum sexaginta nouem mortuus est.
1056	9	Lamech annorum centum octoginta duorum genuit Noë, annis scilicet 126. post mortem Adam, & septingentorum septuaginta septem, mortuus est.
1558	10	Noë quingentorum duorum annorum genuit D 2 Sem,

Anni mūdi	Or do Pa. trū Ch.	
		Sem, 628. post Adam, & in diluuiio erat sexcentorum annorum. Genesis. 7. & vixit annos nongentos quinquaginta. Genesis 9.
1656		<i>Ex his consurgit numerus pradiētus annorum mille sexcentorum quinquaginta sex: atq; hoc seculum ethnicis scriptoribus ignotum erat, quia Europa, Africa, & maxima pars Asia solitudines erant.</i>
1658	11	Sem qui & Melchisedech: 602. vitæ Noë, centū annorum genuit Arphaxad, Biennio post diluuium, & vixit annos sexcentos.
1692	12	Arphaxad: 637. vitæ Noë, annorum ipse triginta quinque genuit Sale, & vixit trecentos triginta octo. Hebræis: 438.
1723	13	Sale qui & Cainam: 667 vitæ Noë, annorum triginta genuit Heber, & vixit quadringētos triginta tres.
1757	14	Heber à quo Hebræi denominantur: 701. vitæ Noë, annorum triginta quatuor genuit Phaleg, & vixit quadringentos sexaginta quatuor.
1787	15	Phaleg: 731. vitæ Noë, annorum ipse triginta genuit Ren. Rheu. Rehu. siue Ragau, & vixit ducentos triginta nouem annos.
1819	16	Ragau siue Rehu. anno 761. vitæ Noë, ipse annorum triginta duorum, non triginta quinque genuit Sarug, & vixit ducentos triginta nouē annos & mortuus est.

Sarug.

- 1849 17 Sarug: 793. vitæ Noë, annorum triginta genuit Nachor, & vixit 230. annos.
- 1878 18 Nachor: 822. vitæ Noë, annorum viginti noue genuit Thare, & vixit annos centum quadraginta octo, & mortuus est.
- 1948 19 Thare: 892. vitæ Noë, annorum septuaginta genuit Abraham, & vixit annos ducentos quinque & mortuus est.

Colliguntur ergo à diluuis ad Abrahamū anni ducenti nonaginta duo. Et quoniam, ut dictum est, Noë vixit post diluuium annis 350. perspicuum fit Noë superstitem vsque ad annum etatis Abrahæ. 50.

Ab ortu Abrahæ vsque ad exitum ab Aegypto, siue ad Legem Mosis, sunt anni quingenti quinque, sed à Repromissione facta Abrahæ annos iam 75. nato, & in Aegyptum profecto. Gene. 12. sunt anni quadringenti triginta. Exod. 12. Galatas 3. Est & hoc quod tam secundum Lucam, quam secundum Matthæum, simul sequentes generationes vsque ad Dauidem inclusiue, nullam habent dissonantiam.

- 2048 20 Abraham ergo erat annorum 58. quando obiit Noë, & centenarius genuit Isaac, vt patet Gene. 21. Repromissionis anno decimo quinto, & vixit centum septuaginta quinque annis, & mortuus est.
- 2109 21 Isaac anno Repromissionis 86. annorum sexaginta.

Anni mūdi.	Or do Pa. Ch.	
2238	22	<p>ginta. Gene. 25. genuit Iacob, & vixit centum octoginta annis. Gene. 34. & mortuus est.</p> <p>Iacob genuit Iudam & fratres eius, & Ioseph. Gene. 20 & 30. Deinde Iacob annorum centum & triginta. Gene. 47 ob famem cum tota familia, in qua erant Phares, Hefron, Leui, & Cahath. Gene. 46. ingressus est A Egyptum anno Repromissionis 215. vbi superuixit. 17. annis, & in totum vixit annis centum quadraginta septem. Gene. 47. Ioseph autem tunc à viginti septem annis erat in A Egypto natus annos 39. quibus demptis à centum triginta supersunt nonaginta vnus patriarche Iacob quando genuit Ioseph Nam Ioseph annos natos sedecim fuit venditus, Gene. 37. & in seruitute & carcere fuit annis quatuordecim. Quoniam annorum triginta fuit eleuatus à Pharaone. Gene. 41. Post venerunt septem anni fertilitatis. Gene. 41. & duo famis, Gene. 45. Atque ita sedecim, quatuordecim, septem & duo, faciunt triginta nouem, post quos & receptum suum patrem in A Egypto superuixit idem Ioseph septuaginta & vno, quia vixit centum decem annos, Gene. 50.</p>
	23	Iudas genuit Phares. Gene. 39.
	24	Phares genuit Hefron.
	25	Hefron genuit Aram
	26	Aram genuit Aminadab.
	27	Aminadab genuit Naasson.
		Sed quia hisce patribus anni vitæ eorum non sunt

Ruth. 4. & 1. Paralip. 2.

Anni Or
mūdi. do
Pa
trū
ch.

sunt ascripti, ex Mosis genealogia legitimus annorum numerus ostendi potest, nā vt diximus Leui genuit Cahath. Cahath autem genuit Amram. Anni vitę Cahath centum triginta tres Exod. 6. Amram genuit Mosen, & fuisse anni vitę Amram 137. Exodi 6. Moses autem annorum octoginta eduxit populum Israeliticū. Exodi 7. Si autem septuaginta vnum quibus superuixit Ioseph post aduentum Iacob in AEgyptum, & octoginta annos Mosis, quos vixerat ante exitum Israelis de AEgypto, id est, 151: demas à quadringentis triginta annis qui Exod. 12. cap. dicuntur tota habitatio filiorum Israel in AEgypto, mediū sanè tempus inter mortem Ioseph & natiuitatem Mosis erunt anni 279. qui nouem annis excedunt illos 270. collectos ex 133. annis vitę Cahath, & 137. vitę Amrā. Ergo inter mortem Ioseph & ortum Mosis, in AEgypto natus Cahath & mortuus est ibidem. Et Amram post humus obiisset nouem annis ante natiuitatem filij sui Mosis, quod dictu absurdum esset. Sed numeri centum quando Abraham genuit Isaac & sexaginta quando Isaac genuit Iacob, & centum triginta quando Iacob genuit Ioseph (vt supradictum est) & septuaginta vnus quibus Ioseph superuixit, post exceptum patrē in AEgypto, & octoginta ætatis Mosis quādo eduxit Israel ex AEgypto, producūt simul quadringētos & quadraginta vnū annos ab ortu Abrahami, à quibus demptis 75 ante Repromissionem lapsis su

D 4

perfun

Anni
mūdi.
Or
do
Pa
trū
Ch.

persunt 366. demendi à 430. commemoratis ad Galatas 3. à Repromissione ad Legem. Et sic verum interuallum temporis inter mortem Ioseph & natiuitatem Mosis inuenitur 64. annorum. Quare 64. & 366. nobis faciunt 430. à Repromissione ad Legem. Exod. 1. & ad Galatas 3. Quibus 430 si addas 75. quibus vixit Abraham post Repromissionem inuenies ab ortu Abraham ad Legem quingentos quinque. Quod etiam efficies ex centum Abrahami, ex sexaginta Isaac, & nonaginta vno patriarchæ Jacob, quando genuit Ioseph, & centum decem vitæ Ioseph, & sexaginta quatuor vsque ad natiuitatem Mosis, & octoginta ætatis eius.

A lege autem & tabernaculo ligneo ac portatili, vsque ad quartum annum Salomonis, quo regnate inchoatum est templum lapideum, anni sunt quadringenti octoginta, vt legimus 3. Reg. cap. 6. tantundem que temporis effluxisse inter Mosen & Templum docent anni per singula Iudicum capita collecti, qui sunt 463. quos si abstrahas ab illis quadringentis octoginta, supererunt adhuc 17. & isti ex conuenienti computatione sunt anni Iosue. Fuerunt autem Iudices in Præfectura populi Israelitici in Exitu de Aegypto ordine sedecim.

1 Moses annis. 40.

Deutero. 29.

2 Iosue annis. 17.

3 Othoniel annis. 40.

Iudicum 3.

4 Aioth annis. 80.

Iudi. 3.

Barach

<i>Anni</i>	<i>Or</i>		
<i>mūdi.</i>	<i>do</i>	5	Barach & Delbora. 4. Iud. 5.
	<i>Pa</i>	6	Gedeon annis 40. Iud. 8.
	<i>trū</i>	7	Abimelech. an. 3. Iud. 9.
	<i>Ch.</i>	8	Thola annis. 23. Iud. 10.
		9	Iahir annis. 28. Iud. 10.
		10	Iephte annis. 6. Iud. 12.
		11	Abessam annis. 7. Iud. 12.
		12	Ahialon annis. 10. Iud. 12.
		13	Abdon annis 8. Iud. 12.
		14	Samson annis 20. Iud. 16.
		15	Heli annis 40. I. Reg. 4.
			Samuel & Saul an. 40. I. Reg. 4.
			Ceterum ne nimium properemus, annos mundi & ordinem patrum Christi con- tinuemus.
2454	28		Naasson, princeps filiorum Iuda, primusque è duodecim principibus filiorum Israel in deserto. Numerorum 2. cap. genuit Sal- mon.
2494	29		Salmon genuit Booz. Ruth. 4. 2. Paral. 2.
2631	30		Booz genuit Obeth. Ruth. 4. 2. Paral. 2.
2671	31		Obeth genuit Iesse. Ruth. 4. 2. Paral. 2.
2711	32		Iesse vel Isai genuit David regem.
	33		David autem rex genuit Nathan & Salomonē, vtrumque ex Bethabee, vt videre est 2. Pa- ral 3. & regnavit annis 40. vt legitur 3. Reg. 2. quibus addendi sunt quoque quatuor an- ni quibus Salomon regnavit ante inchoatū Templum.
			Ex his omnibus consurgit numerus annorum.

Anna Or
mūdi. do
Pa
trū
Ch.

480. supradictus. Et quia sanctus Lucas in enumeratione patrum Christi sequitur lineam Nathan, diuus verò Matthæus lineam Salomonis, nos ordinem patrum quos Lucas commemorat priore loco, deinde posteriore ponemus ordinem Regum Iuda, ex quorum annis regnorum, numerus quoque annorum quo Templum stetit clarius cognoscitur quā ex linea Nathan.

- 34 Nathan, qui fuit Dauid. 2. Re. 5. & 1. Paralip. 3.
 35 Matthata, qui & Achisar præpositus domus Salomonis 3. Re. 4. fuit Nathan. Vnde & soboles Matthat qui erant nepotes Nathan nominabantur fratres & sorores, & filia principis regis Salomonis Hebraicè Matthatim, & Ahisarim, & Banim: & sunt ijdem qui hinc sequuntur.
- 36 Menna, qui fuit Matthata.
- Adnotatiuncula.*
- | | |
|-------------------------------|---|
| 37 Melcha, qui fuit Menna. | Scriptores quidam ex Breuiario Philonis, & Reuelationibus diuæ Brigidæ li. 3. cap 19. lineam Salomonis in Ochozia defecisse scribunt qui Ochozias est rex septimus post Salomonem, & posteros omnes |
| 38 Eliachim, qui fuit Melcha. | |
| 39 Iona, qui fuit Eliachim. | |
| 40 Ioseph, qui fuit Iona. | |
| 41 Iuda, qui fuit Ioseph. | |
| 42 Simeon, qui fuit Iuda. | |
| 43 Leui qui fuit Simeon. | |
| 44 Matthat, qui fuit Leui. | |
| 45 Iorim, qui fuit Matthat. | |
| 46 Eliezer, qui fuit Iorim. | |

- 47 Iesu, qui fuit Ehezer.
 48 Her, qui fuit Iesu.
 49 Elmadan, qui fuit Her.
 50 Cosam, qui fuit Elmadan.
 51 Addi, qui fuit Cosam.
 52 Melchi, qui fuit Addi.
 53 Neri, qui fuit Melchi.

Neri, alio nomine dictus est Ioachim, qui erat vicesimus primus Rex Iudae, ut infra sub regibus Iudae mox ostendemus.

omnes qui Ochozie successerunt ex linea Nathan esse opinantur. Sed haec sententia doctioribus displicet, nam 4. Re. II legitur Ioas filius Ochoziae sublatum ex tyrannide Athalie, & a Iosabada, ut infra sub regibus Iudae mox ostendemus, templo educatus, idemque postea rex

Iuda creatus. Quocirca non defecit linea Salomonis in Ochozia: quanquam posterius ab euangelista Matthæo (ut mox dicemus huius rei causam) prætereantur. Sunt quoque & alij qui credunt Ochoziae successores omnes dinomios aut trinomios fuisse, ut qui est apud Lucam 42. in ordine Simeon dictus sit etiam Ioas: sic & Leui 43. in ordine appellatus sit etiam Amasias: similiter & Matthat ordine 44. cognominatus sit Azarias & Ozias. Iorim vero Ioathan, ut videre est in Chronologia Ioannis Boulæsi apud Sixtum Senensem in Bibliotheca sacra. Sed hæc quia per scripturam neque per traditionem probari possunt, nos asserere non audemus.

A Templo autem Salomonis inchoato usque ad eius desolationem sunt anni quadringenti quadra-

28 GENEALOGIA ET

quadraginta, qui ex tēporibus regum Iuda clarius modò cognoscentur.

Reges Iuda.

2890	1	David rex regnavit annis 40. & inde Salomon eius filius, anno quarto regni sui fundavit Templum.
2934	2	Salomon post quartum regni sui annum, regnavit adhuc 36. annis. vide 3. Reg. 11.
2970	3	Roboā regnavit annis septēdecim. 3. Reg. 14.
2987	4	Abias annis tribus. 3. Re. 15.
2990	5	Asā annis 41. 3. Reg. 15.
3031	6	Iosaphat annis 25. 3. Reg. 22.
3056	7	Ioramānis octo. 4. Re. 8. Quia verò Iorā iste miscuit se generi Achab & Iezabelis regum Israel idololatrarum Baal, filiam eorum ducens vxorem, 4. Re. 8. idcirco Matthæus Evangelista, vt scribit eodem loco S. Hieronymus, memoriam filiorum Ioram sustulit vsque ad tertiam generationem, omittuntur enim tres reges, videlicet Ochozias filius Ioram, & Ioas Ochoziæ filius, atque Amasias filius Ioas, & transit euangelista ad Oziam, dicens: Ioram genuit Oziam. Ego tamen vt numerus annorum ædificati Templi perficiatur, hos tres huic catalogo adnumeravi.
3064	8	Ochozias anno vnico. 4. Reg. 8.
3065	9	Athalia annis 7. 4. Reg. 11.
3072	10	Ioas annis 40. 4. Reg. 12.

Ama-

3112	11	Amazias annis 29.	4. Re. 14.
3141	12	Ozias annis 52.	4. Re. 15.
3191	13	Ioathan annis 16.	4. Re. 15.
3209	14	Achas annis 16.	4. Re. 16.
3225	15	Ezechias annis 29.	4. Reg. 18.
3254	16	Manasses annis 55.	4. Re. 21.
3309	17	Amon connumeratis decem annis absente patre regnavit annis 12.	
3321	18	Iosias annis 31.	4. Re. 22.
3351	19	Ioachas Iosiae filius in anno regni paterni tricesimo primo regnavit tribus mensibus, post quos à Nechao sui nominis secundo rege Aegypti abductus est in Aegyptum.	4. Reg. 23.
3352	20	Eliakim qui & Ioakim 3. Reg. 23. & Ieconias apud Matthæum Iosiae filius fraterque regis Ioachas regnavit annis 11.	4. Reg. 23.
3362	21	Ioachin rex Iuda regnavit mensibus tribus, & quarto mense ultro in Babyloniam transmigravit, anno octavo magni Nabuchodonosor.	4. Reg. 24. Pro quo deinde regnavit.
3363	22	Sedechias, qui etiam Matthanias appellatur, regnavit annis 11.	4. Reg. 24. & tunc Templi facta est statuta desolatio. Hieremiae 52. atque 4. Reg. 25. & Matthæi 24.
3373			

30 GENEALOGIA ET

A Tēpli autē desolatione, vsque ad Christi conceptionem sunt anni quingenti octoginta sex, & facta additione nouem mensium, vsque ad Christi natiuitatem, fiunt anni quingenti octoginta septem, vt patet ex diuinis eloquiis, & Philonis (vt creditur) Breuiario temporum.

3040

Post transmigratiōē in ipso captiuitatis tēpore, anno tricesimo septimo, vt legimus 4. Reg. 25. Desolationis verò Templi anno vicelimo septimo, Ieconias, siue Iochim, ab Euilmerodach rege Babylonis eductus e carcere & honoratus, à plebe Hebræa cognominatus est Neri, i. lucerna mea, mox que, vt scriptum est in Breuiario Philonis, genuit Mesezebeel cognomine Salathiel.

30426

54 I

Salathiel qui & Mesezebeel. 1. Paralip. 3. & Nehemix 3. quinquagesimo tertio Desolationis anno, qui erat annus ante solutionem captiuitatis decimus septimus, ipse annorum existens viginti sex, genuit Barachiam, qui anno decimo septimo soluta iam captiuitate Dux populi factus est Israelitici, exituri de Babylone in Hierusalem: & ab hoc ducatu dictus est Zorobabel, id est, liberatus è Babylone, anno à transmigratiōe octogesimo primo; & à Desolatione templi septuagesimo, secundum Philonem. Tempus itaque Babylonicæ capti-

Anni
mūdz.
Or
do
Pa
triū
Cb

Anni
mūdi. Or
do
Pa
trū
Cb

cæ captiuitatis à voluntaria transmigra-
tione Ieconia, est annorum octoginta
vnius: sed à Desolatione templi & capti
uitate violenta totius regni est annorum
septuaginta. 2. Paralipo. 36. Hieremiae 25.
Daniel. 9. Soluta autem est captiuitas à
Dario rege Persarum annos nato sexagin
ta duos, & nepote eius Cyro. Esaia 45. Da
niel. 5. Præfuerunt autem populo, vt ait
Philo, ex septuaginta senioribus Duces se
orsum, & Sacerdotes seorsum, vsque ad
tempora Asinonai, siue ad Iudam Macha
bæum.

Duces igitur fuere ex domo Dauid, Sacer
dotes autem ex domo Leui, sed Sacerdo
tibus breuitatis causa omittis, Duces pro
sequemur.

3444 55 2 Zorobabel Barachias præfuit annis 58. inte
reaque genuit Rhesa & Abiud, aliis nomi
nibus Mosollam & Hananiam fratres.
1. Paralip. 3. atque Nehemiae 3. vt testis est
diuus Hieronymus.

Sequitur iterum diuus Euangelista
Lucas lineam Rhesa
seu Mosolla.

3493 56 3 Rhesa. 1. Paralip. 3. præfuit annis 66.

3568 57 4 Iohanna Ben-rhesa annis 53.

3621 58 5 Iudas cognomine Hircanus primus, præfuit
annis 14.

Sunt

Sunt ergo a liberatione captiuitatis Babylo-
nicæ vsque ad Alexandrum Magnum,
anni centum nonaginta vnus.

3635	59	6	Ioseph primus præfuit annis 7.
3642	60	7	Semei, qui & Abner annis 11.
3653	61	8	Matthaias, qui & Heli, annis præfuit 12.
3665	62	9	Mahat, qui & Afer annis 9.
3674	63	10	Nagge, qui & Nagit & Artaxat, annis 10.
3684	64	11	Helli, qui & Agai, præfuit annis 8.
3692	65	12	Naum, qui & Massot, annis 7.
3699	66	13	Amos, qui & Schirach, præfuit annis 14.
3713	67	14	Matthaias Siloa annis 10.
3723	68	15	Ioseph secundus, qui & Arses annis 60.
3783	69	16	Ianne, siue Iannæus, qui & Hircanus secun- dus, præfuit annis 16 fuitq; vltimus prin- ceps siue Dux de domo Dauid, regnavitq; Alexander Magnus Monarcha.

Ab Alexandro Magno vsq; ad Iudam Ma-
chabæum anni sunt centum sexaginta
quatuor.

Mortuo enim Hircano secundo, mox se-
quuti sunt Asmonaim, inquit Philo, qui alio
nomine Machabæi, id est, pugnatores dicti
sunt, erantq; de genere sacerdotali, vt legi-
mus 1. Machabæorum 2. Hi cum suo Pontif-
ficatu ducatum coniunxerunt, & bella do-
mus Israel gesserunt, adeo vt domus Dauid
nullos deinceps nisi priuatos viros & fcemi-
nas habuerit. Regnant, inquit Philo, hi As-
monaim

3800

Anni
mūdi.
Or
do
Pa
trū
Ch.

monaim vsque ad Herodem Aſcalonitam per centum viginti nouem annos, & non duobus minus, vt ponit Flauius Iosephus, qui in horum Machabæorum libris adijciēs tempora, eosdem apocryphos reddit, dum I. Machabæorum cap. 1. ponit Antiochum illustrem regnasse anno 137. regni Græcorum post Alexandrum Magnum, qui tamen ferius regnare cœpit, anno scilicet 153. vt patet in Annalib. Græcorum, per singulos reges Asiæ & Syriæ post Alexandrum Magnū quos Eusebius in libro de temporibus eruditè notauit. Hæc lucidius lib. 2. cap. 14. ex Annij commentarijs in Philonis Breuiarium temporis. Et quanquam ex horum Machabæorum Pontificum & ducum sanguine Christus non sit natus, tamen ad continuandum perficiendumque numerum annorum necessariò nobis sunt enumerandi.

A Iuda igitur Machabæo vsque ad Herodē Aſcalonitam sunt anni centum viginti nouem sicut ex enumeratione anno um quibus singuli præfuerunt, perspicuum fit.

Iudas Asmonai seu Machabæus viuo adhuc patre suo correptis armis contra Antiochum illustrem, & filium eius Eupatorem atque Demetrium præfuit annis quinque.

E

2 Iona-

Anni mūdi.	Or do	2	Ionathas eius frater annis 19.
	Pa	3	Simon frater quoque præcedentium annis simul octo.
	trū	4	
	Ch.	5	Ioannes Hircanus Priscus præfuit 26. annis.
3805		6	Aristobulus vno anno.
		7	Iannes Alexander præfuit annis 27.
3824		8	Alexandra eius vxor præfuit annis 9.
			Hircanus vltimus captus à Parthis præfuerat annis 34. Vltimo autem hoc sacerdote summo Machabæo capto, Herodes Asca- lonita iubente Senatu Romano inuitis Hebræis regnavit tyrannico principatu vno & triginta annis, & postea sex legiti- mo regno, id est, triginta septem annis, cuius tricesimo secundo, id est, primo le- gitimi regni anno concipitur Christus, verè missus eodem illo anno, quo per Iu- dæorum consensum, & datam fidem He- rodi alienigenæ regi sceptrum de Iuda prorsus ablatum est, vt prædictum erat à Iacob Patriarcha, Gene. 49. Octauiani Augusti Romanorum Imperatoris an- no 42. & tertio.

Iam quia, vt paulo ante diximus in genea-
logia secundum Lucam de linea Rhesa
seu Mosolla vltimus dux de domo David
erat Ianne, alio nomine Hircanus secun-
dus, victus ab Alexandro Magno, filius
eiusdem Ianne nempe Melchi & posteri
eius

Annus mūdi.	Ordo Patris Ch	Age
3832	70	17
3858	71	18
3859	72	19
3886	73	20
3929	74	21
3960	75	22

eius fuere homines priuati, sicut ex Syro-
rum libris, Damasceno, & sermone de
Nati: Mariæ, qui est in libris Hieronymi
perspicuum fit.

Melchi ergo annorum 25. genuit Leui.

Leui quadragenarius genuit Matthat.

Matthat annorum 36 genuit Heli

Heli qui & Ioachim & Heliachim atque He-
lijoachim oriundus è tribu Iuda dum erat
annorum 46. genuit Mariam cuius ipse na-
tura pater est ex Anna coniuge sua Beth-
lehemitica: quorum gener seu filius lega-
lis est Ioseph, vt non mireris dum ex Mat-
thæi euangelio audies Ioseph hunc esse fi-
lium Iacob, sed hunc scrupulum mox ab-
soluta hac genealogia remouebimus.

MARIA annorum 14. concepit Chri-
stum de Deo Spiritu sancto.

IESVS CHRISTVS filius eius, se-
cundus Adam, Templum secundum: Re-
demptor humani generis, cui sit omnis gra-
tiarum actio, honor & gloria in æternum.

Sequitur quoque iterum Diuus Matthæus
euangelista lineam Abiud, qui & Ha-
nania vocatur, secundus is est Zoroba-
belis filius, atque hi quoque priuati erant
nullo publico aut Sacerdotis aut Ducis
fungentes officio.

Abiud genuit Eliachim.

E 2

Eli-

Anni Or
mūdi. do
Pa.
trū
Ch.

Eliachim autem genuit Azor
Azor autem genuit Sadoc
Sadoc autem genuit Achim
Achim autem genuit Eliud
Eliud autem genuit Eleazar
Eleazar autem genuit Mathan
Mathan autem genuit Iacob
Iacob autē genuit Ioseph virū MARIÆ
de qua natus est IESVS, qui vocatur
CHRISTVS.

Totius genealogiæ huius epilogus.

Ab Adam ad diluuium anni 1656.

A diluuiio ad Abraham anni 292.

Ab Abraham ad legem Moſis anni 505.

A lege ad inchoationem Templi 480.

Ab inchoatione Templi vsque ad Desolatio-
nem 440.

A desolatione ad Christi conceptionem 580.

Ergo à mundi creatione vsque ad Christi cō-
cept. anni 3959. & additis nouem mensibus vsq;
ad Christi natiuitatem anni 3960, minus trime-
stri. In hac supputatione tabulam chronographi-
cam Ioannis Boukæse, Sixti Senensis Bibliothe-
cæ sanctæ adiunctam, sum secutus, sed Christianus
Massæus in tabula sui Chronici his annis ab
orbe condito ad Christum ter mille nongentis
sexaginta, addit duos, videlicet vt natalitius dies
IESV CHRISTI inciderit in Consula-

LIUM

tū C. Lentuli Getuli & M. Valerij Messalini anno 3962. Olympiadis 194. anno secundo. Sed hīc rursū variat Henrici Glareani Chronologia Tito Liviō subiecta, quæ quidem iisdem antonominate Consulib. I E S V natalem ascribit, sed consules hos Olympiadis 194. anno tertio fuisse tradit. Tu Lector media via tutissimus ito & Massæum sequitor. Est & hoc observandum hanc supputationem non nisi triginta annis (si Boulesum sequeris, vel triginta duobus si Christianum Massæum audis) discrepare ab illo præclaro cuiusdam Eliæ vaticinio, quod ea propter subiungo: Sex millibus annorum stabit mundus & postea collabatur: Bis mille ante Legem: Bis mille Lex: Bis mille tempus Christi: & si non fuerint completi anni isti id efficiant peccata nostra. In conceptione igitur Christi & partu Virginis completum est illud Esaiæ II. Egredietur virga de radice Iesse, vel, ut eodem capite diuus Hieronymus legit.

Egressum est germen de trunco David: succisa enim erat arbor & linea regis David, quando rex Babylonis Nabuchodonosor destructo Templo, & capto rege Ioachim succidit arborem & successionem regni Davidici, sed non profus eradicata est arbor hæc, mansit enim stirps seu truncus germinās Duces eiusdem regni, donec post multa tempora captivitatē Babylonice, tandem sub Machabæis nullo de stirpe David, antiqui regni gloriam possidente, ex

priuatis tamen uiris pijs & iustis de genere Dauid (vt modò ostendimus) quasi ex trunco tandem Ioachim & Anna. Virgo Maria, & ex Maria Christus filius Dauid nascitur.

Quis fuerit Heli, & quot habeat nomina.

C A P V T I I I.

NVnc quoniam utramque Iesu Messiae generationem videlicet diuinam & humanam, illam, pro captu nostro, ante omnia tempora, hanc ubi venit plenitudo temporis factam, articulatim explicauimus, iam quare auus eius maternus (quem paulo ante Ioachim nominauimus) Heli in genealogia secundum Lucam appelletur demonstrandum est. Pater igitur Virginis Mariae qui diuo Hieronymo, Epiphanio, Augustino, & Ioanni Damasceno Ioachim dicitur, idem pleno & proprio nomine Iehoiachim appellatur, pro quo breuitatis causa vulgò scribitur Ioachim. Sicut enim rex Ioachim qui fuit in transmigracione Babylonis, dictus est etiam Eliachim, sicut & summus Pontifex, Eliachim in libro Iudith Cap. 4. dictus, postea in Cap. 15. vocatur Ioachim, ita & pater Deipare virginis Mariae Ioachim & Iehoiachim, dictus est quoque Heliachim, & causa breuitatis

— Heli

4. Reg. 24.
Iudith 4.
& 15.

Heli & Eli, quoniam tria hæc nomina Eli, Elia-
chim, Eliioachim Syris, & Philoni, atque Hiero-
nymo super Daniele[m] synonyma sunt. Verum
an Ioachim pater Mariæ etiam Heli dictus, do-
cti quidam dubitant, est tamen hoc consenta-
neum sententiæ eorum qui Lucam putant Ma-
riæ generationem recensere. Ioachim si quid
significet scire cupis, Latine Domini mei præ-
paratio, vel Dei mei firmitas denotat. Dominus
enim Deus Ioachim præparauit & firmiter cu-
stodiuit ab Herodis sæuitie, vt ex ipsius cū An-
na coniugio, nasceretur illa Virgo quæ in vtero
cōciperet & pareret filium cuius nomen voca-
retur Emanuel, i. nobiscum Deus, seu Deus
cum homine. Herodes enim veritus amittere
regni iura, quia rumor erat iam natum es-
se verum ac proprium Iudæis regem multis an-
tè seculis in Lege Prophetisque promissum, om-
nem mouit lapidem, vt puerum hunc infantem
adhuc extingueret, sicut Euangelista Matthæus
disertè testatur. Tradunt quoque Hebræi, quod
& Beda annotauit, Herodè omnes genealogias
Patriarcharum, Regum, & Ducum gentis He-
bræorum in arculis templi Salomonis secretior-
ibus diligenter asseruatas combussisse, existi-
mans se nobilem posse videri, si, deficientibus
documentis certioribus, antiquioribusque sua
progenies ad Israel pertinere crederetur. Fue-
runt tamen quidam dicti Dominici, sic dicti ob
propinquitatem & cognationem Christi, alio

*Commen-
ta in Da-
ni.*

*Vide Con-
cordiam
Iansenij.
Cap. 14.*

Esa. 7.

Matt. 2.

nomine appellati Nazarei, qui ordinem generationis Christi, partim vt à proavis didicerāt, partim vt ex libris quos domi occultè habebant, quantum poterant successores suos perdocebāt. Reliqua proinde de Heli seu Ioachim & Anna coniugibus historia ab Epiphanio & diuo Hieronymo (prout sequitur) contexta est, sed Epiphaniij verba præmitto: Coluerunt, ait, Collyridiani, & adorauerunt creaturam præter creatorem, & stulti facti sunt: si enim angelos adorari non vult, quanto minus eam quæ genita est ab Anna, quæque ex Ioachim donata est Annæ, quæq; per preces & omnem diligentiam secundum promissionem patri ac matri data est, non tamen aliter genita est præter hominum naturam, sed sicut omnes ex semine viri & vtero mulieris. Tametsi enim historia Mariæ & traditiones habēt, quod dictum est patri ipsius Ioachim in deserto: Vxor tua concipiet, tamen non sine coniugio hoc factum, neque sine semine viri futurum angelus præuaticinatus est. Hæc Epiphanius. Quæ vtinam modò nobis extaret Historia. Eadem tamen sed paucioribus verbis in historia sua Nicephorus Callistus habet: Ioachim, inquit, & Anna parentum Mariæ erant nomina, ambo iuxta præscriptum Legis accuratiore vita præstantes & clari, nec non primis quibusq; & nobilissimis genere connumerati. Atque his consentanea sunt prorsus quæ libris sancti Hieronymi inserta leguntur vbi dicit: Igitur beata & glo-

*Libr. 3.
Tom. 2.*

*Historia
Mariæ &
Traditiones.*

*Libr. 1.
Cap. 7.
De ortu
seu de Natiuitate
Mariæ.
Tom. 4.*

& gloriosa semper Virgo Maria de stirpe regia
 & familia David oriunda, in ciuitate Nazaret
 nata, Hierosolymis in templo Domini enutrita
 fuit: pater eius Ioachim, mater verò Anna dice
 batur. Domus paterna est ex Galilæa & ciuitate
 Nazaret, maternum autem genus ex Bethlehē
 erat. Vita eorum simplex & recta apud Domi
 num, & apud homines irreprehensibilis & pia:
 nam omnem substantiam suam trifariam diui
 serunt, vnā partem templo & templi seruito
 ribus impendebant; aliam pauperibus & pere
 grinis erogabant; tertiam suæ familiæ vsibus &
 sibi reseruabant. Ita isti Deo chari, hominibus
 pij, per annos circiter viginti castum domi con
 iugium sine liberorum procreatione exercebāt.
 Vouerunt tamen si fortè donaret eis Deus sobo
 lem, eam se Domini seruitio mancipaturos, cui
 us rei gratia templum Domini singulis per an
 num festis frequentabant. Factum est ergo vt
 encœniorum festiuitas appropinquaret, vnde
 cum nonnullis contribulibus suis Ioachim Hie
 rosolymā ascendit. Ea vero tempestate Isachar
 ibi pontifex erat, cumque inter ceteros cōciues
 suos etiā Ioachim cū oblatione sua videret, des
 pexit eū & munera eius spreuit, interrogans, cur
 inter fœcundos ipse infœcūsus stare præsume
 ret? dicens munera nequaquam Deo digna posse
 videri quem ipse prole indignum iudicasset, di
 cente scriptura: Non erit infœcunda nec steri
 lis in terra tua: & maledictum esse omnem qui

Exod. 23.

Deut. 28.

non genuisset masculum in Israel. : Dicebat ergo, prius eum ab hac maledictione sterilitatis solui per gratiam diuinam oportere, & sic demum in conspectu Domini cum oblationibus venire debere. Cuius opprobrij obiectu, pudore magno suffusus Ioachim, ad pastores, qui cum pecudibus erant in pascuis suis, secessit. Neque enim domum repetere voluit, ne forte à contribulibus suis, qui simul aderant, & hoc à Sacerdote audierant, eodem opprobrij elogio notaretur. Verum cum ibi aliquamdiu esset, quadam die quum esset solus, angelus domini ei cum immenso lumine astitit. Qui cum ad visionem turbaretur, Angelus timorem eius compescuit, dicens: Noli timere Ioachim, neque in visione mei turberis: Ego enim sum angelus domini missus ab ipso ad te, vt annunciem tibi preces tuas esse exauditas, & eleemosynas tuas ascendisse in conspectum eius: videns quippe vidit pudorem tuum, & audiuit sterilitatis opprobrium non rectè tibi obiectum: peccati namque non naturæ vltor est Deus, & ideo cum alicuius vterum claudit, ad hoc facit vt mirabilius denuo aperiat; & non libidinis esse quod nascitur, sed diuini muneris cognoscatur. Prima enim gentis vestræ Sara mater nonne vsque ad octogesimum vitæ annum infœcunda fuit? & tamè in vltima senectutis ætate genuit Isaac, in quo repromissa erat benedictio omnium gentium. Rachel quoque tantum domino grata, tantumque

Gene. 18.

Gen. 21.

Gene. 30.

tumque à sancto Iacob adamata diu sterilis fuit & genuit Ioseph non solum dominum Aegypti, sed plurimarum gentium fame periturarum seruatorem. Quis in iudicibus vel fortior Samsonne, vel sanctior Samuele? & tamen, uterque steriles matres habuere. Si ergo ratio tibi non persuadet verbis meis credere dilatos diu conceptus & steriles partus mirabiliores esse solere, ea propter Anna vxor tua pariet tibi filiam, & vocabis nomen eius Mariam. Neque hoc sine diuinæ scripturæ exemplo continget, nam & nomina quædam clarorum virorum qui republicam populi Israelitici sua fortitudine & virtute adiuuerunt ante natiuitatem suam prædicta comperiuntur, vt Iosæ regis Iuda, Cyri regis Persarum, Ioannis Baptistæ, & quorundam aliorum; quanto magis S. Mariæ perpetuæ Virginis nomen ab angelo parentibus prænunciandum erat, quæ filium peperit, qui saluum fecit populum suum à peccatis eorum. Hæc erit ab infantia, vt vouistis, domino consecrata, & Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris sue. Omne immundum neque manducabit neque bibet, neque inter populares foris turbas, sed in templo conuersatio eius erit, ne quid de ea sinisterum vel suspicari vel dici possit. Porro ætate procedente sicut ipsa mirabiliter ex sterili nascetur, ita incomparabiliter Virgo generabit Altissimi filium qui IESVS vocabitur, secundum nominis etymologiam Saluator omnium gentium.

Et hoc

*Iudi. 13.**1. Reg. 1.**3. Reg. 13.**Esa. 45.**Luce 1.**Matth. 1.*

Et hoc tibi eorum quæ annuncio signum erit:
 Cū perueneris ad auream ciuitatis Hierusa-
 lem orientalem portam, habebis ibi obuiā An-
 nam vxorem tuam, quæ de tuæ regressionis tar-
 datione modò sollicita tunc in aspectu tuo gau-
 debit. His dictis angelus discessit ab ea. His pro-
 fus similia & Hegesippus scribit, sed pergamus
 ex Hieronymo. Deinde apparuit Annæ vxori
 eius dicens: Ne timeas Anna neque putes phā-
 tasma esse quod vides: Ego enim sum Angelus
 ille qui preces & eleemosynas vestras obtuli in
 conspectu Dei, & nunc missus sum ad vos, vt
 annunciem vobis nascituram filiam, quæ Ma-
 ria vocata super omnes fœminas erit benedicta;
 hæc à natiuitate sua statim Domini gratia ple-
 na, tribus ablactationis suæ annis in domo
 paterna manebit, postea seruitio Domini man-
 cipata, à templo vsque ad intelligibiles annos
 non discedet. Ibi deinde ieiunijs & orationibus
 nocte ac die Deo seruiens ab omni immundo
 se abstinabit. Virum nunquam cognoscet, sed
 sola sine exemplo, sine macula, sine corruptio-
 ne, sine viri commixtione virgo filium, ancilla
 Dominū, & gratia & nomine & opere saluato-
 rē generabit Itaque surge, ascende Hierusalem,
 & cum perueneris ad portam ciuitatis quæ au-
 rea, pro eo quod deaurata est, vocatur, ibi pro
 signo virum tuum, pro cuius incolumitatis ita-
 tu sollicita es, obuium habebis. Cū hæc ita eue-
 nerint, scito quod quæ annuncio cætera sine
 dubio

dubio complenda erunt. Igitur iuxta Angeli præceptum vterque de loco in quo erant promouentes ascendunt Hierusalem, & cum ad locum peruenissent angelico vaticinio designatum, illic sibi inuicem obuiauerunt: tunc de mutua visione læti, & promissæ prolis certitudine securi, debitas Domino humilium exaltatori gratias egerunt. Itaque adorato Domino, domum regressi coniugali debito (secundum morem Sanctorum) casto complexu reddito, diuinum promissum certi & hilares expectabant. Concepit ergo Anna & peperit filiam, quã iuxta mandatum angeli parentes Mariam vocabant. Hæc auctor libelli apud diuum Hieronymum, quæ siue verò siue falso ei ascripta sint, non traho contentiosum funem, quando & Epiphanius, quem paulò ante citavi eadem esse vera confirmet. Cæsar Baronius Soranus in Apparatu Annalium hunc scriptorem mendacij arguit quòd narret Isachar illis temporibus fuisse summum Pontificem, sed ille scriptor non addit dictionem Summum, quapropter Isachar intelligi potest, vt debet, Pontifex, id est, sacerdos: nã vt infra videbimus Germanus Constantinopolitanus pro Isachar ponit Zachariam quem post modum in Præsentatione Mariæ allocuta sit Anna. Ceterum verba illa (vt ego aliquid addã) quæ Isachar sacerdos contra Ioachim in templo ex lege citauit, non inuenio: sed ipse Hieronymus contra Heluidium paulò aliter legit nempe

*De Nati-
uitate
Maria.
Tom. 4.*

De perpetua Virginitate Maria. Lib. 4. Dist. 33.

Gene. 20.

In sermo. de presentatione Mariae uide Suriū.

Libr. 1. Cap. 3. de incomparabili Virg. Maria.

nempe: Maledicta sterilis quæ non parit semen in Israel. Super quæ verba Petrus Lombardus magister sententiarum: In veteri, inquit, lege rite multarum fœcunditate mulierū populi dei multiplicatio quærebatur, quia in successione sanguinis erat successio religionis, vnde etiam in lege, Maledicta erat sterilis quæ non relinquebat semen super terrā. Hæc ille. Sanè multis locis diuinæ scripturæ comperimus sterilitatem tam hominum quam pecudum pro maledictione & poena peccati inflictam fuisse. Concluserat enim Dominus omnem vuluam domus Abimelech propter Saram vxorem Abrahamæ abductam. Sed hæc quia notissima sunt, attigisse sat est. Quæ verò paulo antè ex Diuo Hieronymo & Epiphanio de sterilitate Annæ, & impetrata eiusdem fœcunditate recitauimus, sanctus ille pater Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, mirificè laudat, extollit, approbat, beatamque Annam ita loquentem introducit ad Zachariā (hunc suprā Hieronymus Isachar appellabat) Ego sum Anna, gratia nomine, nata quidem sum ex genere Sacerdotali tribu Aaronica, radice Prophetica & Regia Davidis & Salomonis, & eorum qui deinceps fuere sum ramus; sum autem cognata vxoris tuæ Elisabet. Hæc illa. Et deinde narrat ibidem idem Germanus verbatim omnia ferè quæ ex Epiphanio & Hieronymo suprā scripsi. Vtrum verò Ioachim Leuita aut Sacerdos fuerit nescitur, sed Petrum Canisium

Canisium audiamus: Nos, ait, in historia nulla, sed ne in Iacobi quidem proteuangelio scriptum legimus Ioachim maritum Annæ Mariæque patrem pro sacerdote censerî, imò verò qui de his coniugibus scribunt, contrarium asserunt, quod nempe à sacerdotibus tulerit vir ille repulsam, & in deserto vixerit aliquando velut indignus habitus qui cum fœcundis maritis locum honestum teneret. Sed de his satis. Verum enimvero quia iam paternum Beatissimæ Virginis Mariæ itemma longumque sanguinem ex euangelio sancti Lucæ ostendimus, & patrem Mariæ esse Heli seu Helioachim declarauimus, qui fuit filius Matthat & sic deinceps: nunc ut maternum quoque genus eiusdem gloriosæ Virgunculæ ut aperiam historicus ordo postulat.

*De Diua Anna parentibus, &
horum nuptijs.*

CAPVT IIII.

CYrillus Patriarcha Alexandrinus in Synodo Ephesina clarissimus propugnator fidei Catholicæ sub annum domini CCCCXXXIII. contra Nestorium Episcopum Constantinopolitanum dogmatizantem quòd Virgo Maria dici non debeat Theotocos, id est, Deipara, sed dumtaxat Christotocos seu

cos, seu Christipara quasi hominem tantum hæc puerpera genuerit libellum fertur cōscripsisse: De ortu Mariæ qui modo non extat, sed alibi delitescit, ex quo desumpta esse creduntur hæc sequentia verba: Appropinquante plenitudine temporis quo per filium suum Deus erat redempturus genus humanum, nempe anno septuagesimo septimo ante verbi diuini incarnationem, floruisse in Iudæa fama est Virginem quandam gloriosam stirpe Dauidica natam, diuitem admodum, mireque formosam, optimè moratam, & cordatam prorsus, & spe redemptionis Israeliticæ refertissimam, quæ permissu paceque parentum filios Prophetarū in monte Carmelo ad fontem Helix commorantium (vbi Elisæus filius Saphat fundebat aquam super manus Eliæ) visitare solita, ab iisdem maiore semper pietate & prudentia imbuebatur, donec iam matura viro ad propagationem generis sui matrimonio ab optimis parentibus, secundum Dei institutū addiceretur. Sed Virgo hæc Emerentiana nomine Virginali vitæ assueta, & casti consilij semine pregnans modestè primum refragata parentibus, eorundē monita ad Carmelicolas detulit. Qui in ieiunio & oratione Deum consuluerunt, donec eorum tres in mentis emotionem rapti, seorsim singuli ostentum tale quale sequitur viderunt, nempe radicem pulcherrimam, geminā ex se arborem germinātem, quarū prior admodum

4. Reg. 3.

dum erat elegans, formosos valde flores produ-
cens, verum nihil ad hanc alteram, ex qua tres
rami prodire speciosissimi multifida gestantes
ramalia: è quorum primo longè decentissimò
unicus est flos natus purissimus atque fragantis-
simus, odore complens cœlum & terram opti-
mo. Ex reliquis eiusdem arboris ramalibus flo-
res nati sunt, si seorsum spectetur pulcherrimi,
sed ad primi rami seu virgæ florem & fructum
nihil comparandi. In hac visione sanctiores fide-
que digniores viri vocem simul audiuerunt talē:
Radix hæc Emerentiana est, magnæ propagini
destinata, ascendet enim radix Iesse in salutem
populorum. Qua re intellecta virgo se confor-
mans diuinæ voluntati, parentum dicto audiens
viro nubit. Solon is erat, Bethlechem Iudæ oriun-
dus de genere David, iustus & Deum timens,
qui è Galilæa dulcissimam sponsam suam, duxit
in Iudæam in ciuitatem David quæ vocatur
Bethlechem; & introduxit in cubiculum matris
suæ defunctæ, cuius omnem mundum mulie-
brem dedit ei. Traditur quoque in eodem libel-
lo Emerentiana ex Solone de tribu Iuda duas
enixam esse filias, quarum prior Anna, poste-
rior Ismeria fuit. Quanquam mihi, vt etiam Io-
docus Badius in Mantuanum annotauit, Esme-
ria natu maior, & Anna minor videatur, quia
Esmeriæ filia. Elisabet vt docet Euangeliū vetu-
la erat, quando cognata eius Annæ filia Maria
hanc visitabat filio Dei iā impregnata; ex ætate

*Esa. II.**Paribeni
ces Ma-**riana.**Libr. I.**in fine.**Luc. I.*

F igitur

igitur filiarum forsitan & matrum ætas non male colligitur. Esmeria igitur Sacerdoti cuidam iuncta peperit Elisabeth Zachariæ Sacerdotis uxorem: Anna elocata Ioachim Mariam enixa est. Quæ & alia plura Cyrillus scripsisse creditur, nam ante episcopatum adhuc adolescens à patruo suo studiorum causa ab Alexandria natali solo suo missus est Athenas, & bonarum literarum iam absoluto circulo illinc ad Ioannem Episcopum Hierosolymitanum profectus, cum ipso in montem Carmelum sæpius ibat, ac postmodum cum viris sacratis ibi habitantibus coelestem vitam aliquamdiu egit. Fuisse enim pijs illis in locis Carmeli montis viros id temporis sanctos, qui in arcta pœnitentia Deo seruiabant Iosephus Antiochenus in libro de perfecta militia testis est scribens in hunc modum: Perfectorum militum Christi apostolorum coadiutores strenuissimi surrexerunt viri solitarij contemplationi dediti, sanctorum Prophetarum Elia & Elisæi sequaces, qui de monte Carmeli descendentes, per Galikæam, Samariam, & Iudæam, fidem Christi constantissimè sparserunt, quique in Mariæ Virginis honorem in montis Carmeli decliuio fabricantes oratorium Saluatoris matri specialissimè seruiuerunt, & hac ratione ipsius titulum elegerunt, vt dicerentur fratres B Mariæ de monte Carmeli. Hæc Iosephus. Ab hisce igitur fratribus visionem illam de coniugio Emerentianæ Cyrillus habuisse potuit,

Trithemius de viris illust. Carmelitis. De perfecta militia cap. 12.

potuit, qui postmodum in patriam tuam Alexandriam reuersus, & factus presbyter, defuncto patruo suo eiusdem vrbis Episcopo, omnium consensu & promotione eidem suscectus est; tandemque Celestini primi nominis sui Romanorum Pontificis Legatus in Concilio Ephesino constitutus, pestiferum illud dogma Nestorij (cuius ante meminimus) refutauit, & Beatissimam Virginem Mariam Dei matrem esse confirmauit. Hæc Gulielmus quoque Pepinus Ordinis Prædicatorij Theologus, qui Gallica lingua dum vixit parem non habuit, facundissimus concionator se scribit inuenisse in antiquo codice Bibliothecæ sui ordinis Valentix in Hispanijs, quæ an sola veterum traditione consistat, vel ab ipso Cyri lo probatissimo scriptore in libello quem *de Ortu Virginis Deiparæ contra Nestorium* scripsisse fertur, desumpta sint quoniam ipse meis verbis eadem nec negare nec affirmare possum, Pepini verba retuli. Sed vt certa relictis incertis teneamus, omissisque dubijs vera sequamur, mihi melius B. Annæ pro sapiam sanctus Hippolitus martyr Episcopus Portuensis conscripsisse videtur, quem Ado archiepiscopus Treuirorum, in suo Martyrologio, apud Antiochiam deceptum fuisse Nouati scismate sub annum domini CCL. & Christi gratia correctum scribit illustre martyrium consummasse mense Februario. Hippoliti igitur verba quæ Nicephorus quoque repetit

*Libro de
imitatio-
ne sancto-
rū ser. 2.*

*Histo. lib.
2. cap. 3.*

hæc sunt: Tres fuere sorores Bethlehemiticæ filia Matthan Sacerdotis & Mariæ coniugis eius sub Cleopatræ & Casoparis, seu Casparis Persæ regno ante Herodis Antipatris filij regnum. Primæ, nomen Mariæ, secundæ Sobæ, tertiæ Annæ nomen erat. Nupsit prima in Bethlehem. Maria & peperit Salomen obstetricem. Nupsit quoq; secunda itidem in Bethlehem Soba; & genuit Elisabet. Nupsit postremò & tertia, Anna in terra Galilæa, & protulit Mariam Dei genitricem, ex qua nobis exortus est Christus ipsa veritas. Hæc Hippolitus. Sanè B. Annam in terra Galilæa nupsisse Ioachim seu Heli Joachim supra diffuse ostendimus. Quã verò ob causam hæc progenitorum Mariæ Virginis mihi verior videatur historia, hæc est ratio quoniam magis est cõsentanea euangelio: in genealogia enim Christi siue hanc secundum Lucam, siue secundum Matthæum consideres proauus Christi Matthan inuenitur, quem Lucas Matthat nominat. Nam in euangelio Matthæi ante Christum primus est Ioseph qui fuit natura filius Iacob, & Iacob natura filius Matthan. In euangelio suo etiã Lucas scribit Iesum, vt putabatur, esse filium Ioseph, qui fuit legalis filius seu gener Heli, id est, Ioachim, qui Ioachim seu Heli fuit filius legalis seu gener Matthat seu Matthan. Et preterea, vt conueniunt rebus nomina sæpe suis, Matthat seu Matthan idem est ac si dicas donum; Anna gratiam significat, Ioachim,

achim, domini præparatio, seu Dominus præparavit, denotat: Maria, Domina, seu magistra maris, vel princeps mundi significat. Itaque Matthan Annæ, id est donum gratiæ, per generum eorundem Ioachim, dominus Deus præparavit Mariam, id est dominam nostram, vt ex ea nasceretur Iesus seruator mūdi. Atque tam insigni mysterio significando, vt animis nostris imprimamus huius personis nomina hæc indita esse videntur. Omissis igitur de Emerentiana & Solone donec certius aliquid inueniatur de iis, Hippolitum sequamur. Ex Simeone Metaphraste & Laurentio Surio plura colligi possent, que ad Annæ historiã vitæ spectāt, qui orationes de præsentatione Mariæ tam Germani Constantinopolitani quam Georgij Nicomediensis Archiepiscoporum conscribit ad quem remitto cupidum Lectorem. Mariæ igitur parentes nec obscuros nec incognitos fuisse perspicuum est, tãetsi nullum Reipublicæ regimen seu magistratum gesserint, sed fuisse de genere Dauid, & quidem satis opulentos, ostendimus. Exigit deinceps ordo historiæ, vt quem & cuius filium, Maria, Ioachim & Annæ filia virum acceperit.

*Gregor.
Nysseni
Episc. orationem de
Natali
Domini
legat.*

*Ioseph cuius filius fuerit? & quomodo
duos patres habuit.*

C A P V T V.

F 3

Vetus

Vetus est hæc quæstio, atque ad hanc à pa-
 tribus variè responsum, quomodo in euā-
 gelio legatur, Ioseph duos habuisse pa-
 tres, Matthæus enim scribit Iacob genuisse Io-
 seph, Lucas verò ait eundem filium fuisse Heli,
 sitque extra omnem controuersiam non esse
 vnum eundemque virum Iacob & Heli, sed di-
 uersos, qui quanquam ad vnum attauū seu trun-
 cum genus suum referant, nempe Dauidem,
 hoc tamen per diuersos ramos seu patres factū
 est, videlicet Nathan & Salomonem Dauidis fi-
 lios. Lucas enim, vt supra ostendimus, narrat Io-
 seph contingere Dauidem per Nathan, Mat-
 thæus per Salomonem. Est quoque natura co-
 gnitum fieri non posse vt vnus idemque foetus
 in vtero à duobus viris concipiatur, sed contin-
 gere aliquoties videmus vt ex eodem congres-
 su & semine vnus cum foemina viri, formetur
 non vnus post alterum, sed simul gemini, quos
 eodem tēporis momento natura fouere incipit.
 Accidit etiā nōnunquā superfœtatio quādo per
 concubitus plures vno, siue cum eodē, siue al-
 tero viro post priorem foetum conceptum mu-
 lier rursus alium concipit, quem etiam, partus
 tempore, vno aut altero die serius enititur, sed
 neque hoc modo duo patres vnum filium gene-
 rant. Quamobrem Christianæ fidei hostes Cel-
 sus ex Epicuri grege, contra quē Origenes scrip-
 sit, postque eum Porphyritus Philosophus, &
 post eos Iulianus Cæsar, atque tandem Faustus
 Mani-

Manichæus qui superiorum omnium argumen-
ta coaceruauit, multa esse in euangelijs non tan-
tùm discrepantia, sed repugnantia sibiq; con-
tradicientia nobis obiiciunt: imò & esse in iisdẽ
euangelijs quæ fieri nullo modo possunt; exem-
pli causa, vni filio duos attribuisse patres, sicut
Iacob & Heli viros diuersos vnius filij, scilicet
esse patres Ioseph: implacabiliter ergo dissenti-
re Mattheum & Lucam in patre Ioseph, quem
Lucas Heli, Matthæus Iacob esse dicunt. Quæ-
stio igitur impresentiarum dissoluenda hæc est:
Vtrum, & quonam tandem modo vnus filius
duos possit habere patres? Ad huius verò, diffi-
cilis licet, quæstionis explicationem, obseruan-
dum imprimis præter vulgarem illam loquen-
di consuetudinẽ qua ciuilitatis & honoris cau-
sa senem virum patrẽ nominamus, & vetulam
appellamus matrem (hoc enim vrbānum est &
pium) quatuor adhuc modis in diuina scriptura
quispiam pater dici potest: Natura, Substitutio-
ne secundum Legem Mosaicam, Adoptione, &
Affinitate. Omitto etiam nunc communem il-
lam loquendi formulam quam Poeta Terentius
habet: Natura, inquit, tu illi pater es, consiliis
ego, sic enim patronum cliens patrem nuncu-
pat. Sed quænam ex hisce patris significationi-
bus in sacra scriptura vsitatis, ad antecedentis
dissolutionem perplexæ quæstionis potissimum
conducat, dispiciendum erit. Imprimis in hoc
consentiunt omnes, tam Philosophi quã Theo-
logi.

*Pater
quot mo-
dis quis
dicatur.*

Deute. 25

logi hoc in his esse quæ fieri nullo modo possunt ut vnus filius duos habeat natura patres, seu (quod idem est) ut à duobus viris in vna matre genitus sit. Sed vno ex tribus reliquis modis cum primo modo, quispiam duos patres habere potest. Nam duos habere patres in diuina scriptura frequens est, si vnus natura, alter ex lege Mo-
 sis pater nominetur, vel si vnus natura, alter adoptione pater sit, aut denique si vnus natura, alter affinitate pater nuncupetur. Exempla in libris sacris obuia sunt. Legimus apud Mo-
 sen in hunc modum: Quando habitauerint fratres simul, & vnus ex eis absque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri (seu alieno) sed accipiet eam frater eius, & suscitabit semen fratris sui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomē eius ex Israel. Hæc Moses. Cuius legis beneficio ille primogenitus à secūdo fratre ex fratria sua procreatus, duos habet patres, vnum naturalem alterum legalem, nam pater eius naturalis abdicat eum à se, & substituit eum in hæreditate fratris sui defuncti, atque sic suscitasse semen fratri suo dicitur: & ille filius primogenitus si naturam spectes est quidem posterioris fratris filius, sed si legem spectes, est filius prioris nempe defuncti filius: veluti supra huius libri capite secundo de posteris Salomonis & Nathan factū ostendimus, vbi posterij Nathan semen Salomoni suscitauerunt. Tertij porro modi nempe
 Adopta-

Adoptionis exēpla sunt Sara & Agar, vtrāque enim hanc Ismael vocabat matrem, propterea quod Sara adoptione, & Agar natura illi mater erat. Ita & Moses duas habuit matres, nēpe Iochabed & filiam Itharaonis, hęc enim adoptavit Mosen in filium: Iochabed verò ex Amri, filio Cahat, Mosen concepit & peperit, ideoque hęc natura eius mater erat. Affinitate etiam Moses duos patres habuit, Amri scilicet & Iethro; Amri natura illi pater erat, Iethro affinitate, erat enim socer Mosis, ipseque Moses gener eius, filia enim Iethro, nomine Sephora, vxor Mosis erat. Saul contumiliter David generum suum vocat filium dicens: An hęc vox tua David fili mi? Atque hęc voculæ huius PATER plena est significandi forma, nec sunt plures. Quapropter quem magni & excellentis ingenij primitiue Ecclesię patres modum elegerint quo duos patres Ioseph habeat inquiramus: Iulius Africanus, Eusebius Cæsariensis Episcopus, Ambrosius antistes Mediolanensis & Iohannes Damascenus secundo modo Iosephum duos habuisse patres scribunt, attamen inter eosdem magna adhuc discrepantia cernitur, quanquam enim in hoc consentiant quod duos habuerit patres, vnum naturalem alterum legalem nempe Heli & Iacob, hosque vterinos fratres esse, hoc est, ex eadem matre, sed diuersis patribus qui etiam ex diuersis familijs descenderint, quarum familiarum vnam Diuus Lucas ad

Gene. 16.

Exod. 2.

Exod. 6.

Exod. 2.

1. Reg. 26

*Libr. I.
Cap. 7.*

Deute. 25

Resam, filium Zorobabel, alteram verò sanctus Matthæus ad Abiud secundum filium Zorobabelis reduxit; attamen historia qua id factum sit, utpote diuinæ scripturæ contraria fidem non meretur. Eusebius enim ex epistola Iulij Aphricani ad Aristidem asserētis hæc à Saluatoris propinquis sibi tradita scribit Matthan & Melchi in alio atque alio coniugio de vna eademque vxore Estha seu Hiestha nomine singulos filios procreasse, & Matthan quidem vxorem hanc prius habuisse, relictoque vno filio nomine Iacob, fato concessisse, qui à Salomone descenderat. Et post obitum Matthan, Melchi qui à Nathan genus duxit, cum esset ex eadem tribu sed non ex eodem genere relictam Matthan accepisse vxorem, genuisse filium Heli nomine: atque ita Iacob & Heli fratres vterinos seu vnusvteri, non tamen vnus patris: atque horum fratrum priorem nempe Iacob accepisse vxorem Heli sine liberis mortui, genuisseque ex ea Ioseph natura quidem seu germine filium suum, Legis autem præcepto filium Heli. Iam amice Lector siste pedem, & observa in his verbis apertissimum errorem, vbi Melchi dicitur genuisse Heli, cum tamen apud Lucam inter Melchi & Heli duo ponantur intermedij, nempe Matthat & Leui. Itaque Melchi non fuit pater Heli, sed Melchi genuit Leui, Leui genuit Matthat, & Matthat genuit Heli. Melchi proinde non fuit pater, sed proauus Heli secundum Lucam. Missio igitur Aphricano

Aphricano & Eusebio, iam nunc Damasce-
 num audiamus in libris de Orthodoxa fide, qui
 consimiliter scribit Iosephum natura filium
 esse Iacob, & legalem filium Heli, variat ta-
 men ordinem quo id factum sit, scribens Le-
 ui genuisse Melchi & Panther, Panther au-
 tem genuisse Barpanther, & hunc genuisse
 Ioachim patrem Virginis. Melchi autem fra-
 trem Pantheris ex illa vxore, Estha, ex qua Mat-
 than procrearat priore coniugio Iacob, postea
 genuisse Heli, quo sine liberis defuncto, Iacob
 ex vxore Heli suscitasse Ioseph, natura ergo
 filium Iacob, & Lege filiū Heli. Sed in his quo-
 que verbis manifestus est error dum scribit Le-
 ui genuisse Melchi, euangeliū enim habet quod
 Leui fuit Melchi, subaudi filius, non verō pa-
 ter. Possent tamen vt annotauit Cornelius Ian-
 senius in Commentariis suis super Cōcordiam
 euangelicam, Eusebius & Damascenus excusari
 ab his tam crassis contra euangelium erroribus,
 si Typographo vel Scriptori imputemus erro-
 rem; & pro voce Melchi in vtroque autore re-
 ponatur Matthat, neuter enim tunc discrepabit
 ab euangelio, sed quid tūc respondebimus Am-
 brofio? Traditur, inquit, Matthan, qui à Salomo-
 ne genus ducit, generasse Iacob, & Matthan, vxo-
 re superstitite decessisse vita, quam postea Mel-
 chi acceperit vxorem, ex qua generatus est He-
 li. Rursus Heli, fratre suo (Iacob) sine liberis dis-
 cedente, copulatus est fratris vxori, & genuit
 ex ea

*Libr. 4.
 Cap. 15.*

Lucas 3.

In ca. 14.

*Ambr. su-
 per Lucā.*

*De con-
sensu Euā-
gelist.*

*2. Retra.
Cap. 7.
Contra
Faust.
Libr. 2.
Cap. 6.*

ex ea Ioseph. Ausculta Lector, Eusebius & Damas-
cenus aiunt Ioseph esse legalem filiū Heli,
contra Ambrosius dicit Ioseph esse naturalem
filium Heli. Cū igitur veritatis sit simplex
oratio, & duæ contradictoriæ nunquam sint si-
mul veræ, aut hic aut illi incircumspectius ita
fenserunt. Sed de his mox iterum. Nunc audia-
mus Beatum Augustinum, hic tertio modo à
nobis supra commemorato existimauit Iose-
phum duos habuisse patres, vnum quidem na-
tura, alterum adoptione: Putant, ait, quæstionē
istam nō posse dissolui, quo pacto Ioseph duos
habuerit patres, nec intuentur quod certissimū
atque facillimum est: patrem non enim tantū
dici à quo quis genitus sit, sed etiam eū à quo
quis fuerit adoptatus. Verū quia ipse in libro
Retractionum dicit à se fuisse prætermis-
sum quando contra Faustum scribebat, nec explicaf-
se quomodo hæc adoptio in genealogia Christi
esset adoptanda seu accommodanda, neq; tunc
legisse se adhuc Iulium Africanum, de huius
generationis serie plenius differentem, & se ad
Aphricani sententiam remittat, non est operæ-
pretium refellere pluribus eorum opinionem
qui ex autoritate Augustini Iosephum adoptio-
ne tantum esse Iacob aut Heli filium autuma-
uerant, quasi natura fuerit filius vnus, & alte-
rius adoptione. Sufficit quippe nobis quod pedi-
bus in Aphricani eat sententiam Diuus Augu-
stinus, qui tamen libro secundo Euang. Quæstio-
num,

num, dicit Africani sententiam videri infirmam, quia dum quisquam apud Iudæos defuncto fratre vel propinquo prolem de vxore eius exuscitat, illud quod nascitur nomen defuncti solet accipere, & pro confirmatione suæ sententiæ citat legem ipsam suscitandi seminis: Quando habitauerint fratres simul, & vnus ex eis absque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri, sed accipiat eam frater eius, & suscitabit semen fratris sui, & primogenitum ex ea filium, nomine illius appellabit. &c. Ioseph igitur si ex defuncti vxore superstiti, siue Heli siue Iacob sine liberis mortui, esset suscitatus ac substitutus & deputatus in locum patris sine liberis defuncti, non debebat vocari Ioseph, sed vel Heli vel Iacob. Sed etiam hanc suam sententiam de impositione nominis eius qui sine prole mortuus est in eum qui substitueretur tractat Beatus Augustinus dicens: Illud argumentum quod ideo dixi esse infirmum, quoniam eum qui nasceretur nomen defuncti Lex iuberet accipere, non est verum: nomen enim defuncti ad hoc valere Lex præcipit, vt eius filius diceretur, non ad hoc, vt hoc quod ille vocaretur. Hæc Augustinus. Atque ita videtur Africani adhuc sententia inconuulsa stare posse. Sed alia est efficacissima ratio cur secundo modo, nempe Natura & ex suscitato semine Ioseph duos patres non habuisse doceri potest: nam legalem filium ex vxore defuncti nemo

*Deutero.
Cap. 25.*

*2. Retrac.
cap. 12.*

Deut. 25.
Concord.
euang. ca.
14.

mo potest suscitare, nisi frater defuncti germanus, id quod apud Iudæos sine controuersia est, & ex verbis Moſis satis euidenter probat Iansenius loco prænominato: Inquit enim: Quando habitauerint fratres simul, hoc quidē non cōtingit nisi ex eodē patre natis: nā qui diuersos habēt natura patres, diuersas etiā capiunt hæreditates, in quibus cū habitāt, nō habitant simul. Deinde sequitur. Vxor defuncti non nubet alteri, vel vt habent Hebræa ad verbum: Nō erit vxor defuncti foris viro alieno: Nubit autem foris viro alieno cū traditur marito qui non sit è domo soceri sui prioris. Postremò iubet Lex vt accipiat eam frater eius. Pro frater autem in Hebræo est Iabā, quod nomē in vniuersa scriptura non significat nisi fratrem germanum. Hactenus Iansenius. Ex quibus perspicuum fit duos fratres vterinos duntaxat, à suscitando semine, secundum Legis præscriptum, alienos & ineptos censeri, quia quom diuersos habeant patres, diuersas quoque hæreditates capiunt, & foris non simul habitare dicuntur. Cū igitur Iacob & Heli non fuerint fratres germani, sed communi omnium supraſcriptorum Ecclesiæ Catholicæ patrum suffragio vterini tantummodò extiterint, non possunt esse Iosephi patres secundo modo, siue hic siue ille natura Iosephi pater sit, neuter enim Legis mādato pater ei esse potest. Hanc suprapositam vocem Iaban, id est germanus frater, si æqua lance expendisset Cæsar Baronius,

ronius,

ronius, atque Aphricani & Damasceni dissonantiam de Iosephi patribus perpendisset, non tam temere Cornelij Iansenij & recentiorum sententiam reiecisset, vel Aphricano hac in disceptatione plus tribuendum censuisset. Neque tamen Iansenij in verba iuro totus. Nam Booz, in libro Ruth, Maalonis non germanus frater erat, neque in eadem hereditate paterna habitabat, sed propinquus duntaxat. Contendit igitur Melchior Canus Episcopus Canariensis, eos fratres dici habitare simul, qui in eadem domo vel in eadem ciuitate habitant, licet non in eadem hereditate paterna. Nunc tandem quæ fusius explicauimus contrahamus, & quia primo modo videlicet Natura vterque Iosephi pater esse non potest; deinde nec secundo modo Natura & Substitutione seminis quia non fuerunt germani fratres aut cognati germani, sed ex alieno sanguine, sed nec cum euangelio Aphricanus & Damascenus conueniunt, neque etiam tertio modo videlicet Natura & Adoptione, (hanc enim adoptionem retractat Augustinus) quarto sanè aut modo nullo Heli & Iacob esse patres Iosephi concluditur: sed quom vterque euangelista Matthæus & Lucas vtrumque hunc, nempe Iacob & Heli, esse Iosephi patrem scribant necessario consequitur hosce duos Iacob & Heli quarto modo, nempe Affinitate, id est, iure conjugali, seu lege vxoria, quam dicunt ex parte vxoris, patres esse. Sicut ergo Iacob naturaliter genuit

*Locorum
theolog.
lib. II.*

genuit Ioseph virum Mariæ, ita & Ioseph fuit Heli filius, quia gener eius, hoc est, ex parte coniugis suæ fuit Heli filius. In genealogia enim Christi Matthæus per naturæ lineam à David primum descendendo per Zorobabel qui fuit de stirpe David per Abiud vnum Zorobabelis filium descendit ad Ioseph; quæ tamen linea ad Christum aspicienti legalis est. Christus enim lege vxoria tantum Iosephi filius est, nã quod in ea natum est, de Spiritu sancto est, supra omnem modum naturalem. E contrario Lucas Euangelista, per coniugalis legis ordinem à Iosepho per socerum eius Heli, quem & Helioachim vocatũ diximus, ascēdit ad Rhesam alterũ Zorobabelis filium, & per Rhesam ad Nathan fratrem Salomonis, atque per hunc ad David, Iesse & ceteros intermedios ad Abraham, & ab Abr. denique ad Adam & Deum, quæ nihilominus ascendendi formula, si Christum respicies, est naturalis genealogiæ Christi series. Nam quum non sit consuetudinis, vt ait B. Hieronymus, mulierum in generationibus ordinem texere, commodum non à Maria vera matre Christi, sed ab eius naturali patre Heli seu Ioa-chim Iosephi socero ascendendo ad David & Abraham ostendit Christum Mariæ filium ad domum David & Abraham pertinere, atque ita Ioseph qui de domo David erat iure propinquitatis quia de vna tribu nempe Iuda, Ioseph & Maria ambo erant, & pater Mariæ Helioachim

*In i. cap.
Matth.*

*Num. vi.
cap.*

chim nullos habuerit filios, hæreditas eius necessario ad filiam deuoluebatur Mariam videlicet, quamobrem ipsa vni de tribu seu cognatione sua nubere debuit. Nunc priusquam in B. Annæ historia longius procedam, diligenter inquirendum est vtrum ante Mariam vel post eam, Ioseph uxorem aliquam habuerit, vci potius virgo virginem duxerit, & cum virgine virgo permanferit?

*An Ioseph dum esset sponsus Virginis,
virgo fuerit? permanferitq; virgo?
& quando mortuus sit.*

CAPVT VI.

ANtiqua est etiam hæc quæstio, quæ non exiguæ autoritatis patribus Ecclesiæ Catholicæ negotium quondam fecit, nam non defuere quidam, vt scribit Diuus Hieronymus, qui fratres Domini filios fuisse Ioseph de alia uxore suspicati sunt, sequentes deliramenta apocryphorum, & à quadam Escha muliercula confingentes, sed nos, inquit Diuus Hieronymus, sicut in libro quem contra Heluidiũ scriptum continetur, fratres Domini non filios Ioseph sed consobrinos Saluatoris, Mariæ liberos intelligimus materteræ Domini quæ esse dicitur mater Iacobi Minoris & Ioseph & Iudæ, nã

*Super
Math.
cap. 12.*

*Fratres
Domini
qui:*

G f atres

*Epistola
ante Ho-
miliã de
Annun-
ciatione
Virg.
Vide Sur.
de sanctis
tom. 2.*

*Apud Ni-
cepho. l. 2.
cap. 3.
In Matt
cap. 27.*

*In Pana-
rio heresi
78. & 28.
& 51.
Oratio. 2.
In Matt.
cap. 1.
Ad Gal.
cap. 1.*

fratres dici etiam consobrinos omnis scriptura demonstrat. Et tamen (quemadmodum nos submonet Aloisius Lipomanus Veronensis Episcopus) magnus ille Ioannes Chrysostomus Iosephum ante desponsationem Virginis, non virginem sed viduum fuisse scribit, & ex pramortua vxore masculos quatuor, nempe Iacobum fratrem Domini, Simonem, & Iudam, & Iosephem, duasque filias, Mariam & Salomen genuisse. Et qui Chrysostomum multo tempore præcessit Hippolitus martyr Episcopus P'ortuensis in eadem est sententia, vt Nicephorus scribit, nisi quod filias eius nominet Esther & Thamar. Theophylactus quoque Bulgariæ Archiepiscopus Chrysostomi abbreviator fratres Domini filios Ioseph esse scribit, sed alio modo, quapropter verba eius referam: Fratres, inquit, habuit Dominus & sorores, filios Ioseph, quos genuit ex vxore fratris sui Clopæ. mortuo enim absque liberis Clopa, Ioseph iuxta legem, vxorem eius accepit, & pueros procreauit sex, quatuor mares, & duas fœminas, Mariam quæ dicitur Clopæ filia secundum Legem, & Salomē. Adhæserunt huic opinioni & alij complures, Epiphanius contra Antidicomarianos, & alibi sapius, Gregorius Nyssæ Episcopus de resurrectione Christi in Orationibus. Hilarius quoque Pictauorum Episcopus in Matthei euangelium. Ambrosius Mediolanensis in epistolam ad Galatas. Et ante hos omnes in eadē opinione fuit Origenes.

Origenes, qui reddit huius sententiae causam eandem, quam Epiphanius quoque in loco supra citato habet, nempe quia hanc sententiam ex euangelio secundum Matthaeum, & secundum Marcum hauserint, aut verius, ut Origenes fateatur: Fratres, inquit, Iesu putabant nonnulli esse ex traditione Hebraeorum sumpta occasione ex Euangelio quod titulum habet, Iuxta Petrum, aut ex libro Iacobi, filios Ioseph esse ex priorē uxore, quae conuixerat ipsi antequam Mariam duceret. Haec ille. Vides igitur quid magni utriusque Ecclesiae Graecae & Latinae Patres de beato Ioseph sentiant, usque adeo serpit quando semel inualuit docti alicuius viri etiam sine recto iudicio & temere suscepta opinio. Sed nunc Aloisij Lipomani verba referam: Ego, ait, ut ve-

toro orbe Christiano testatum faciam, pace sit horum omnium praecellentium virorum, quos in aliis sequor, plurimum amplector, & tamquam venerabilissimos Patres vehementer obseruo, quia in hoc mihi tamen placere nequaquam possunt, semper contrariam tenui sententiam, tenereque profitebor usque ad mortem, nisi sancta mater Ecclesia diuersum aliquid super hoc statuatur, vel nisi me quis potentioribus & efficacioribus viderit rationibus, ut à mea vicis recedam opinione. Credoque, & firmiter teneo beatissimae Virginis sponsum, virginem & ipsum fuisse, nec vnquam pudicitiae suae florē amisisse.

In Matt.
13.

In Epist.

ante tra-

statū de

Annun.

B. Maria

Vide Sur.

10mo. 2.

*Regulam
telligenda
scriptura.*

Luca 3.

Ioan. 21.

Talem enim matrem, talem sponsum, talemque tantumque filium, talem putatum patrem habere par erat. Et ne ex meo cerebro hæc eruta videatur sententia, tribus eam si potero enitar medijs confirmare, sacræ primùm ipsius scripturæ fontibus, ijsque & secundum germanum sensum deductis; constanti etiam (vt credimus) & quæ vinci non possit ratione, tum demum sanctorum aliquot Patrum auctoritate. Ac primùm id nobis explorandum censeo, num ex diuinis scripturis quisnam verus pater, & quæ vera mater fuerit Iacobi Minoris, qui dicitur etiam frater Domini reperiri possit. Quod nõ fuerit difficile, sed præmittenda assertio est hæc quæ negare nemo possit: Scripturam sacræ quoties ita loquitur, Isaac Abrahæ, vel Iacob Isaac, hunc in aures auditorum sensum & intelligentiam immittere, & non alium, quàm Isaac esse Abrahæ filium, & Iacob esse filium Isaac. Quod ex Lucæ euangelio ostenditur, vbi genealogia Domini ascendendo ab Ioseph vsque ad Deum describitur. Habetur enim istic in hæc verba: Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, vt putabatur filius Ioseph qui fuit Heli (subaudi) filius: qui fuit Matthat nempe filius, & sic de singulis vsque ad Adam, de quo vltimo loco dicitur: qui fuit Dei (subaudi) filius. Hoc idem probatur ex loco Ioannis vbi dicit Dominus Petro: Simon Ioannis amas me? hoc est, Simõ fili Ioanis. Quod ita esse ostendit quoque Domi
nus

nus dicens: Beatus es Simon-Bar Iona. Bar enim Hebraicè, Latinè filium significat. Vnus est tantum locus in quo propositio ista non currit, quādo videlicet aliter interpretari ipsa te scriptura cogit, exēpli gratia in euangelio Lucae, vbi duodecim apostolorū nomina recēsentur, & inter cetera: & Iudā Iacobi: quomodo expones hic Iudam Iacobi? filium uē? Minimè quidem, quoniam te alia scriptura id facere prohibet; nempe in sua canonica Iudas se explicans ita de seipso loquitur: Iudas Iesu Christi seruus frater autem Iacobi. Vbi autem nulla nos compellit scriptura aliter exponere, semper prædicta regula propositioque tenenda est. Venio igitur ad quæstionis scopum, & patrem Iacobi Minoris dico non fuisse Ioseph sed Alphæū. Hoc probamus ex Matthæo vbi ponens euangelista duodecim apostolorum nomina sic scribit: Duodecim autem Apostolorum nomina hæc sunt: Primus Simon, qui dicitur Petrus & Andræas frater eius, Philippus & Bartholomæus, Iacobus Zebedæi & Ioannes frater eius, Thomas & Matthæus publicanus, & Iacobus Alphæi, & Thaddæus, Simon Cananæus, & Iudas Iscariotes qui & tradidit eum. Marcus quoque & Lucas duodecim Apostolorum catalogum recensentes præsertim Marcus sicut primum Iacobum cum Ioāne fratre dicit filios esse Zebedæi, ita & Iacobum alterum Alphæi dicit (subaudi) filium. Quod si primum illum, Zebedæi filium exponere &

*Math. 16.**Luca 6.**Epi. Iudæ**Math. 10**Marci 3.**Luca 6.*

nere & intelligere cogaris (eius enim filius est
 vt ex Mattheo & Marco constat) sanè etiam se-
 cundum Iacobum fratrem Domini, Alphæi fi-
 lium, intelligere, velis nolis, compelleris. Cur
 enim illum Iacobum, ex Zebedæo patre natum
 asseras, hunc autem ex Alphæo natum neges?
 aut ergo vtrosque filios intellige, aut vtrosque
 nega, vel scripturam adducito aliquam, propter
 quam Zebedæum Iacobi Maioris patrem dice-
 re cogaris, Iacobi autem Minoris Alphæum pa-
 trem non ita. Quàm, certò scio, scripturam non
 inuenies. Crede ergo expositioni nostræ. Et
 hoc quantum ad primam attinet. Quæ verò hu-
 ius Iacobi Minoris cognomine Iusti mater fue-
 rit, & ipsa sacra scriptura se consulentibus ape-
 rit. Si enim legeris euangelium Matthæi, inue-
 nies profectò ita in eo scriptum: Erant autem
 ibi (nempe vbi crucifixus est Dominus) mulie-
 res multæ à longè; quæ secutæ fuerant Iesum
 ministrantes ei, inter quas erant Maria Magda-
 lene, & Maria Iacobi, & Ioseph mater, & mater
 filiorum Zebedæi. Et ne qua tibi detur dubitan-
 di occasio quis iste sit Iacobus cuius mater Ma-
 ria dicitur scrupulum omnem tibi auert Mar-
 cus, inquit: Erant autem & mulieres de longe
 aspicientes, inter quas erant Maria Magdalene,
 & Maria Iacobi Minoris mater, & Salome. quæ
 cum essent in Galilæa, sequebantur eum, & mi-
 nistrabant ei. Et quia hæreticos fore præuidebat
 Spiritus sanctus, qui hanc Mariam quæ Iacobi
 Minoris

*Matth. 27.**Marci. 15*

Minoris & Ioseph mater esset, eandem esse quæ
 & Saluatorem nostrum peperit, quæq; ex Ioseph
 marito Iacobum hunc fratrem Domini, &
 alios fratres eius genuisset impudentissimè as-
 ferturi erant, Ioannes discipulus Domini dile-
 ctus, & omnium Euangelistarum vltimus, hanc
 hæreticorum blasphemiam omnino sustulit, cū
 dixit: Stabant iuxta crucem Iesu mater eius, &
 soror matris eius Maria Cleopæ (subaudi fi-
 lia) secundum propositionem nostram primo
 loco positam. Ecce quam alij Euangelistæ Ma-
 riam Iacobi Minoris & Ioseph matrem nomi-
 nant, Ioannes sororem matris Iesu dicit, &
 Cleopæ filiam. Et quia soror erat sanctæ Dei
 genitricis, ideo Iacobus, Ioseph, Simon & Iu-
 das fratres Domini, vsitato scripturæ more (quo
 filij duorum fratrum vel duarum sororum, hoc
 est, patruales vel consobrini fratres nuncupari
 solent) & ipsi apud Matthæum dicti sunt. Ex his
 omnibus luce meridiana clarius liquet patrem
 Iacobi Minoris (qui frater Domini appellatur)
 & fratrem eius esse Alphæum, eorum verò matrē
 esse Mariā sororem sanctissimæ Deiparæ, filiāq;
 Cleopæ. Quæ autem Mariæ istius mater fue-
 rit infra disputabitur: satis est modò nobis hanc
 esse sororē B. Virginis Deiparæ. Hactenus verba
 Aloysij. Sed vt aliquid interloquar, sermonēq;
 tuū optime Aloysi interrumpā, esto hoc largiar
 tibi vt sit Maria Iacobi Minoris mater, Cleopæ
 filia sicut tu dicis (de quo tamē doctissimi quiq;

Ioan. 19.

Matt. 13.

Nota.

dubitant) & Cleopas sit frater germanus Ioseph (de quo non ambigitur) an ex eo sanctissimam sponsam Ioseph, que glos est Cleopæ, sicut & ipse ei leuir est, consequeretur Mariæ Iacobi ex affinitate sororē esse. Sanè si rem penitus introspeciamus, Cleopæ vxor, quęcunq; eandem fuerit, Mariæ matris Iesu, ex parte coniugis sui Ioseph, soror est: & Maria Iacobi (si tantum Cleopæ filia sit) tunc Virginis matris nõ soror, sed neptis dumtaxat esse posset: verum si Maria Iacobi est eadem quæ in euangelio Ioannis cap. 19. nominatur soror matris Iesu Maria Cleopæ, eandē quoq; vxorē Cleopę fuisse oportet. Sed hac de re infra, in capitibus nono & decimo nos seriò disputabimus. Pergit porrò Aloysius in eadem epistola super Orationē de Annuntiatione vt sequitur. Iam cum Iacobus & ceteri fratres eius sunt Alphæi & Mariæ Cleopę filij, videant obsecro quomodo id fieri possit vt Ioseph pater Domini putatius ex alia vxore eos genuerit. Venio igitur nunc ad rationē vrgētissimam trimembrem, quæ est hæc quæ sequitur: Aut enim Ioseph illam vxorem (quam putant) habuit ante beatam Virginem, aut simul cum beata Virgine, aut deniq; post mortem beatæ Mariæ (nec enim quartum membrum huius diuisionis dari potest:) Si primo modo (vt videtur diuus Hilarius dicere velle) affirmes ex priorē coniugio filios susceptos, hoc profecto falsum est, quia ista coniunx non fuisset alia quàm Maria

ria

ria soror matris Domini, quæque ab Euangelistis dicitur esse mater Iacobi Minoris, sed hæc tempore mortis Christi adhuc viuebat, & stabat iuxta crucem Iesu vnâ cum sorore sua sancta Deipara, quæ dudum antè, & quidem annis triginta tribus fuerat desponsata Ioseph, vt supra ex euangelija ostensum est. Quod si dicas, ea viua quidem esse potuit, sed repudiata, vt vult Chrysostomus, vide obsecro, quo tandem pacto id asserere possis: Non enim conuenit viro iusto (vti Ioseph erat, euangelio teste) sanctâ eiusmodi mulierem (quæ continuò Dominum sequebatur ministrans) repudiare, tum quia ipsa adhuc viuente, nullo modo sororẽ eius beatam Virginem habuisse potuit coniugem, vt in sequenti membro euidenter patebit. Dices forsitan, ambas vno eodemq; tempore habuit, Mariam Domini matrem, & Mariam sororẽ eius matrem Iacobi. Sed hoc quoque falsum est, & multò absurdus. Quanquam enim Iacob Patriarcha duas simul Liam & Rachel sorores habuit coniuges ante Legem, id tamen singulari permissione diuina propter significationem factum est: præsignificabatur enim in duabus illis sororibus Synagoga Iudæorum & Ecclesia ex gentibus congreganda, vni viro Christo coniungenda. Cæterum Lex Mosaica id aperte prohibuit, dicens: Sororem vxoris tuæ in pellicatu illius non accipies, nec reuelabis turpitudinem eius illa adhuc viuente. Vel, vt alij legunt,

Non creditur hoc Chrysostomus de Iosephosẽ sisse, sicut nec locus allegatur

Gene. 29.

Leuitici cap. 18.

vxorem cum sorore eius non accipies ad æmulationem, vel ad lasciuiendum. Quam legē Isy-
chius, Radulphus, ceteriq; illius libri exposito-
res de eo intelligunt qui vxori simul & eius so-
rori iungitur. Superest ergo vt tertium mem-
brum eligas, & dicas post mortem sanctissimæ
Virginis, Iosephum viduum hanc Mariã Cleo-
phę duxisse vxorem, & tunc procreasse Iacobū
Minorem, Iosetem, Simonē & Iudam. Sed hoc
omnium dictu absurdissimum, quoniam adhuc
viuente beatissima matre Saluatoris grandæui
erant hi fratres, & à Christo in Apostolatum
assumpti (vt patet ex Euangelistarū libris) quo-
rum nō nasciturorū, sed natorum mater iuxta
crucem Dñi steterisse reperitur. Itaq; eruditis au-
ribus indigna hæc essent. Quamobrē nullo mo-
do, nec ante, nec simul cum virgine Deipara,
nec post genuisse hos fratres Ioseph potuit. Ter-
tium medium quo perpetuā virginitatem san-
ctissimi Ioseph nos ostensuros promiseramus,
erat videlicet sanctorum nonnullorum patrum
auctoritas. E quibus est D. Hieronymus contra
Heluidium scribens: Tu dicis, inquit, Mariam
Virginem non permanisse, ego mihi plus ven-
dico, etiam ipsum Ioseph virginem perman-
sisse per Mariam, vt ex virginali coniugio, vir-
go filius nasceretur. Si enim in viuum sanctum
fornicatio non cadit, & aliam vxorem eum
habuisse non scribitur: Mariæ autem, quam pu-
tatus est habuisse, custos potius fuit quam ma-
ritus

*Li. de per-
petua vir-
ginitate
Maria.*

itus: relinquitur virginem permansisse cum Maria. Diuo Hieronymo succedit Sanctus Augustinus ita Iosephum alloquens. Habe ergo Ioseph cum Maria coniuge tua communem virginitatem membrorum, quia de virginis membris nascitur virtus angelorum: sit Maria sponsa Christi, in carne sua virginitate seruata, sis autem & tu pater Christi, cura castitatis & honore virginitatis, vt de virginis membris, seculis Christianis nulla sit zelotypia. Et paulò post: Gaude itaq; Ioseph, nimitiq; congaude virginitati Mariæ, qui solus meruisti virginalem affectum possidere coniugij, quia per meritum virginitatis ita separatus es à concubitu vxoris, vt pater dicaris Saluatoris. Rupertus quoq; Abbas Tuitiensis, relatis verbis D. Hieronymi contra Heluidium, eius sententiam amplectitur & approbat. Sequitur eandem quoque sententiam Hugo de S. Victore in Annotationibus super Paulum. Demum Venerabilis Beda (quem de industria vltimo loco seruaui) de fratribus Domini loquens, inter cetera ait: Fratres & sorores Domini secum esse testabantur Iudæi, qui tamen non Ioseph, aut Mariæ Virginis liberi putandi sunt iuxta hereticos, sed potius iuxta morem sacre scripturæ cognati ipsorum intelligendi sunt, quomodo Abraham & Loth fratres appellantur, quum esset tamen Loth filius fratris Abrahæ. Hæc Beda. Vides ergo si quis dixerit hos Domini fratres vel ex B. Ioseph & virgine

*Sermo. 14.
de Nati.
Domini.*

*In 1. cap.
Matthæi.*

*In epi. ad
Gal. qu. 5*

*In Marc.
cap. 6.*

virgine Maria procreatos : vel ab Ioseph ex alia
 vxore, vel præmortua, vel repudiata, vel post
 Mariæ virginis mortem accepta, genitos : hanc
 non tantum inhonestam, sed etiam hæreticam
 inuentionem esse. Maria igitur Virgo vt suæ vir-
 ginitatis post partum à filio de cruce pendente
 custodem accepit Ioannem discipulum suū vir-
 ginem, sic etiam ante partum testem suæ virgi-
 nitatis à patre habuit, quando Virgo virgini Iosepho
 desponsa est, quod maximè decuit. Si
 enim antea coniugatus fuisset cum aliqua prio-
 re vxore, non caruisset suspicione amissæ virgi-
 nitatis posterior vxor: sicut etiam Iudæi Chri-
 stum ex Ioseph semine natum impiè præsume-
 bāt. Ioseph igitur virgo & coniunx Mariæ quin-
 quagenarius ad victum arte fabrilī cōquirendū
 integer, & ad profectiōē Aegyptiacā subeun-
 dā validus, fideliter matri & proli inseruiuit in
 Nazareth, Berhlehē, Hierusalē, Aegypto, & post
 reditū ex profectiōe Aegyptiaca denuō in Ga-
 lilæa: quin & Christū duodennē amissum Hie-
 rosolymis, cū matre dolens inuenit tandē in tē-
 plo: & si Cedreno credimus, vsq; ad annū æta-
 tis Christi 30. quo & baptizatus est Christus, Ioseph
 superstes erat, tumque moriebatur annos
 natus 110. Epiphanius tamen 90. è viuis excessis-
 se scribit. Vtcunque sit D. Hieronymus refert
 Mariā viduam fuisse tēpore passionis Dñi: testa-
 tur inquit, hoc euangeliū Ioannis quando illam
 tunc viduā non Ioseph viro eius, sed Ioāni disci-
 pulo

*Luca 2.
 Math. 2.
 Luca 2.*

*In Com-
 pen. con-
 tra Anti-
 heresi 78.*

pulo suo cōmendauit. Hęc confirmat S. Ambro-
sius dicens: Non vtiq; Christus faciebat diuor-
tiū, non Maria relinquebat virū suū: nunquid à
viro eam abduxit? Hęc ille. Non enim verifimi-
le est Iosephum virū tam iustum relicturū fuis-
se coniugē suam si adhuc viuus tunc fuisset, ma-
ximè in illis extremis calamitatibus, quæ etiam
alienissimos ad commiserationem excitare so-
let. Imò vt annotat Epiphanius post Iesum à Io-
seph & Maria duodennē in tēplo inuentū, nihil
amplius in sacris literis de Iosepho Mariæ coniu-
ge legitur: ex quibus paulo post mortuus esse
non malè colligitur. Iam nunc de virginitate
Mariæ loquamur.

*Quod Maria non tantum libera volun-
tate virgo permanserit, sed etiam vir-
ginitatem vouerit & quando.*

C A P V T V I I.

Postquam Heluidius hæreticus Auxentij
Ariani discipulus, qui assererat beatissimā
Dei genitricē post Christi natiuitatē à vi-
ro suo Ioseph cognitā esse, eiq; peperisse mares
quatuor, & foeminas duas, D. Hieronymi coæui
sui stilo confossus est, nemo apertè perpetuam
virginitatem Mariæ negare fuit ausus: sed vtrū
eam vouerit, vel libera solum voluntate virgo
permanserit, aut si vouerit, quando tandem id
factum sit? quoniam nostræ ætatis hæretici dis-
putant dum vota monastica damnant: ordo po-
stulat

*Contra
Helui diū
Ioan. 19.
Lib. de In-
stitutione
virgi. ca.
7. & epi-
stola. 79.*

*Votum
quid.*

*Deuse-
nim non
irride-
tur ut
scriptū
est Ga. 6*

*Votum
duplex*

stulat ut de voto primū aliquid differamus, dein
de q̄ vouerit perpetuā Maria virginitatem, &
quādo votū hoc Deo nūcuparit hoc capite demō
strabimus. *Votū est spōsio qua quis ex delibera-
ta voluntate & proposito eiusdē p̄mittit Deo ali-
quod melius bonū, seu excellentē virtutē super-
erogationis, ad quā necessariō prius non erat ob-
strictus, sed in sua erat libera potestate, sine amis-
sione aeternae salutis, eandē facere aut nō facere.*
Et quoniā votū Deo fit, idcirco post fidē datā di-
uine maiestati religiosē seruādū & cōplendū est,
atq; ita maioris & pōderis & meriti apud Deū fit
promissio. *Votorū huiusmodi duo sunt genera,
quaedā enim sunt tēporaria, quaedā perpetua. Tē-
poraria sunt ut peregrinationes religionis ergō,
ieiunia, elemosynae, cilicia, & opera eiusmodi
pœnalia pro certo tempore. Atq; hæc & similia
quādo inutilia vel noxia esse incipiūt, tolli pos-
sūt vel in alia laudabilia opera cōmutari, nō qui-
pē priuata voluntate, sed publica præsidū aucto-
ritate, quoniā in omni voto ius superioris sem-
per excipitur. Ad hæc votū quādoq; fit sola p̄mis-
sione cogitata & animo tantū cōcepta, q̄ dicitur
votū simplex, nonnunquā votū fit cū testificatio-
ne in præsentia aliorū, & proprii oris p̄nunciatio-
ne ad quāndā confirmationē voti, sed neutrū eius-
modi votū adhuc nominatur solēne: & si quis vo-
tū virginitatis sic emiseric, impedit matrimoniū
cōtrahendū, sed nō dirimit cōtractū, neq; potest
petere debitū cōiugale quisquis talivoto astringi*

ur

tur sine dispēfatione seu relaxatione apostolica. Solenne autē votū fit siue obediētię siue pauper-
tatis siue castitatis duobus modis: nēpe per sacri
Ordinis susceptionē, vel per professionē monasti-
cā in regula à sede Apostolica approbata, & dici-
tur solēnevotū, quia in simplici voto est sola pro-
missio, sed in solēni voto est promissio & datio
seu oblatio; propterea solēnevotū virginittatis im-
pedit matrimoniū contrahēdū & dirimit cōtra-
ctū. Et quanquā Canones, seu dogmatica Theolo-
gia, doceant in omnivoto ius superioris semper
excipi: tamē, vt docet B. Tho. Aqui. virginittatis
votū solenne per sacri Ordinis Sacerdotalis sus-
ceptionem emissum, & vota monastica neq; per-
mutationis variationē neq; relaxationis gratiam
per vllos, quantūcūq; sint S. Catholice Ecclesie
p̄fectos admittunt. Propterea mirū nō erat per-
turbatā fuisse virginē Mariā, & timuisse quādo
audiuit ab Archangelo quod esset conceptura
& paritura filium: Quomodo, inquit, fiet istud
quoniā virū nō cognosco: hoc est, quia voui me
virū non cogniturū? Quęstio igitur est: Vtrum
perpetuam virginittatē ipsa vouerit, & quando de-
mū? vel an sola libera voluntate sua nullo obli-
gata voto perpetuā virginittatē Maria Dei geni-
trix seruauerit? Sed vt hęc inuestigemus prius
videndum est, quid de voto puellę antequā fue-
rit desponsata, vel postea quā viro data est, lex di-
uina sanciuerit: Mulier, ait Deus per Mosen, si
quidpiā vouerit & se cōstrinxerit iuramēto quę
est in domo patris sui, & in etate adhuc puellari;

22. q. 88.

Luca. 1.

Num. 30

si cognouerit pater votum quod pollicita est & iuramentū quo obligauit animā suā, & tacuerit, voti rea erit, quidquid iurauit & pollicita est, opere cōplebit. Si autē statim vt audierit cōtradixerit pater, & vota & iuramenta irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eò quòd contradixerit pater. Si autē maritū habuerit, & vuerit aliquid, & semel de ore eius egrediēs verbum animā eius obligauerit iuramento, quo die audierit vir & non contradixerit, voti rea erit, reddetq; quodcunq; promiserit. Sin autem audiens statim contradixerit, & irritas fecerit pollicitationes eius, verbaq; quibus obligauerit animam suā, propitius erit ei Dñs. Ex hisce verbis docti aliquot viri aiūt Mariā apud parentes suos Ioachim & Annā (qui maximā de filiae suae sanctitate expectationē conceperant) in aetate puelari virginitatis votum Deo fecisse, nec à parentibus contradictū esse. Fuit tamen de Mariæ voto, estq; etiamnum aliorum sententia, beatissimā Virginem postquā est desponsata votum virginitatis, quod iamdiu animo conceperat, sponso suo Ioseph assentiente, verbis expressisse. Per facile enim erat persaudere hoc homini iusto & castissimo virgini, sicut Iosephi virginitatem in precedentibus ostendimus. Et in hac sententia est D. Thomas Aquinas. Sed vt vera loquar, ad ostendendā Mariæ virginitatē perpetuam, apertus S. scripturæ locus nobis deest, sed testimonium habemus totius S. Ecclesiae Catholicae. Iam

*Tertia
parte qu.
28. ar. 4.*

vt

vt inquit B. Augustinus, Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs est institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolica auctoritate traditum rectissime creditur. Quod igitur Orientalis, quod Occidentalis semper praedicauit Ecclesia, in dubium nunc reuocare summæ dementiæ esset. Ceterum ne prorsus absque diuinæ testimonio scripturæ perpetuam virginitatem voto nuncupatam Deo à beatissima Virgine, docere & tenere videamur, B. Augustinū denuo audiamus, vbi dicit hæc quæ sequuntur verba: Ipsa quoque virginitas eius gratior & acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo, quam conseruaret ipse præripuit, sed priusquam conciperetur, iam Deo dicatam, de qua nasceretur elegit. Hoc indicant verba, quæ sibi foetum annuncianti Angelo Maria reddidit, Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? Quod profectò non diceret nisi Deo ante virginitatem vouisset. Sed quia hoc adhuc Israelitarum mores recusabant, desponsata est viro iusto non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod illa iam vouerat. Hæc Augustinus. Verba igitur Mariæ: Virum non cognosco, quibus excipit & excusat se contra Angelum de sui corporis integritate non sic accipienda sunt vt de præsentis tempore dumtaxat intelligantur dicta, sed non cognosco. i. nunquam cognoscam propter emissum votū perpetuæ virginitatis enim, nunquā licebit mi-

H

hi

De Baptismo contra Donatist. li. 4. c. 24.

Libr. de sancta virginitate cap. 2. Luc. 1. ca.

hi viro commisceri. Nisi enim sic intelligas, verba Mariæ non haberent iustam excusationem apud angelū, sed essent mera elusio qua angelū ritisse videretur quod impiū est cogitare de Maria. Iustissima ergo & grauissima erat eius excusatio seu exceptio, dū dicit, quomodo fiet istud vt perpetua maneam virgo & tamē in vtero cōcipiam filium. Necesse est ergo vt intelligamus eam vouisse perpetuā virginitatem. Hunc quoque esse verum & germanum Mariæ verborum sensum sanctus Bernardus etiam testatur: Non dubitat, inquit, de facto, sed modum requirit & ordinem. Nec enim querit, an fiet istud, sed quomodo. Quasi dicat, quom sciat Dominus meus testis conscientia meæ, votum esse ancillæ suæ non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit ei vt fiat istud? Si oportuerit me frangere votum vt pariam talem filium, & gaudeo de filio, & dolco de proposito. Fiat tamen voluntas eius. Hæc Bernardus. Et venerabilis Beda Mariæ verba eodem modo exponens: Quomodo inquit Maria fieri potest vt concipiam pariamque filium, quæ in castimonia virginitatis vitā coniunmare disposui? Non autem quasi incredula verbis Angeli, quomodo hæc impleri valeant, requirit: sed certa, quia oporteret impleri, quod & tunc ab Angelo audiebat, & prius a propheta dictum legerat, sed quo id ordine implendum sit, interrogat: quia videlicet propheta qui hoc futurum prædixit, quomodo fieret,

non

*Homilia**4. sup. euā
ge. Missus**Homilia**in Luca 1.
cap. super
Missus.**Isai 7.*

non dixit, sed Angelo dicendum reseruauit. Hæc Beda. Addam & è Græcis nobilissimum theologum Grægorium Nyssenum eadem constanter affirmantem, cum ait: Si Maria liberorum causâ ducta fuisset à Ioseph, quomodo se parituram Angelo prænuncianti, rem nouam & alienam audire præ se tulisset, cum ipsa quoque sese astrinxisset naturæ legi seu coniugio, vt aliquando mater esset? Verum quia carnem Deo consecratam, tanquam sanctum aliquod oblatum munus, oportebat intactam integramque præstare: idcirco, licet, inquit, Angelus sis, licet de cœlo venias, licet, id quod ostendis naturam superet humanam, tamen me virum cognoscere nefas est, & quomodo ergo sine viro mater ero? Ioseph enim sponsum noui, sed virum non cognosco. Hæc ille, cui cæteri quoque Græcorum qui hac deretractât suffragantur. Ceterum libelli huius manualis angustia non fert, vt omnes omnium orthodoxorum tã Græcorum quàm Latinorum patrum Ecclesiæ de hoc scripturæ loco expositiones huc comportent. Quando tamen hæc virginittatis perpetuæ professionem, aut sua libera sola voluntate, aut parentum voto sibi præscriptam suscepit, ex euangelio, vt diximus, perspicuum non est, ideoque ex ipso euangelio sanctos Patres intellexisse ipsam voto perpetuæ Virginittatis obstrictam demonstrasse sat est. Aut si curiosius nouisse tempus facti huius voti iuuat, huiusce Enchridij caput tertium

*In oratio
nede Christi
Natiuitate apud
L. Suriū
Tom. 7.*

Lucæ 1.

1. Reg. 1.

relegito, ubi Angelus annunciat parētibus huius perpetuæ Virginis natiuitatē, nepe q̄ virū nūquā cognosceret, Quid mirum si hoc accepto nūcio Ioachim & Anna hāc suā prole Deo vouerint? quādo & Anna Samuelis mater precata sit hāc sequentia verba: Dñe exercitūū, si respiciēs videris afflictionem famulæ tuę, dederisq̄ ancillæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius. Sanē vt Anna Samuelis vouit, & post votum est exaudita, Domino votum approbante, à veritatē via non aberrauerit qui Mariæ parentes hoc idem fecisse credant. Quam quoque sententiam sequitur Diuus Hieronymus, vel quisquis autor est libelli, De Natiuitate sanctæ Mariæ, cuius verba sequenti capite recitabo. Nunc reliqua prosequamur.

De hoc nomine Maria, eiusq̄ Natiuitate & Presentatione in Templo.

CAPVT VIII.

Libri huius cap. 5.

Diximus supra de beatæ Annæ parentibus eiusq̄ coniugio; nunc quāto tandem hanc Deus fecit læta prole parentem, & filiæ eius quod sit inditum nomen; quomodoque hæc primogenita tres annos nata in templo sit Domino oblata, dicam. Anno igitur ætatis mundi ter millesimo nongentesimo sexagesimo secundo (secundum Massæi supputationē) ab vrbe Roma condita septingentesimo trigesimo

simo septimo; Octauiani Augusti Imp. à Tri-
 umuiratu vicesimo sexto, Olympiadis centesi-
 mæ nonagesimæ anno quarto; sub Consulatu
 L. Furni; Nepotis & Caij Iunij Silani, ante
 Christum natum anno decimoquinto, mensis
 Septēbris die octauo, beata Anna filiã suã pepe-
 rit primogenitam. Nam Christus Dominus de
 cimo quinto post anno, vicesimaquinta Decem-
 bris sub Consulatu Lentuli & Messalini ex hac
 filia de Spiritus sancto natus est. Natę igitur ines-
 fabili spe & gaudio, filiæ suæ parentes M A -
 R I A E nomen indiderunt illustre & peruetu-
 stum. Siquidem Amram & Iochabed parentes
 Mosis & Aaronis, filiæ quondam suæ etiam Ma-
 rię nomen imposuerunt, quod ex Hebræo fer-
 mone si deriuēs, notat Stella seu Illuminatrix
 maris: si verò ex communi Syrorum lingua de-
 ducas, Dominam Latine significat. Idcirco &
 Ioannes Damascenus in libris de orthodoxa fi-
 de: Parit, inquit, Anna, id est, gratia, Mariam,
 id est, dominam: hoc enim Mariæ nomen signi-
 ficat. Hæc ille. Et quidem hætenus apud Gallos
 antiquissimus obtinuit vsus vt hanc diuam vir-
 ginem sua lingua *Noſtre dame*, hoc est nostrã
 dominam nuncupent: quam consimiliter Ger-
 mani tam superiores quam inferiores *Vnser lie-
 be frauuu*, id est, nostram dilectam dominam no-
 minant. Hanc suam filiolam Ioachim (qui Do-
 mini præparatio, vel, vt clarius dicam, a Do-
 mino præparatus est ad hoc officium, vt eandẽ

Gregori-
 us Nyſse-
 nus de na-
 ti. Domi-
 ni.

Exod. 6.

Li. 4. c. 15.

- Leuiti. 12.* ex Anna. i. gratia Dei gigneret) cum sua coniuge post partum octuagesimo die quo secundum legē purificantur puerperæ, quæ filiã enituntur in Hierusalem in sanctuarium Dñi importat vt offerant eã & consecrarent Dño, sicut scriptum est in lege Dñi: Sãctifica mihi omne primogenitum, eãque precio redimeret, & vt darẽt hostiã
- Exod. 13.* secundum quod dictum est in Lege Dñi, par turturum aut duos pullos columbarum. Quibus secundum legē ritẽ peractis, reuersi sunt cum sua
- Leuit. 12.* prole parentes in Nazareth in domum suã. Exinde per annos singulos Ioachim oblaturus quẽ debuit ascẽdit in Hierusalẽ, puta pro filia sua siclos tres à primo anno ad tertium: verũ si quis Annã domi suæ mãsisse existimet donec trimula fieret Maria, à veritate nõ aberrauerit credo, quoniã hoc quoque Anna mater Samuelis quondã factitarat, quando vir eius Elcana & omnis domus eius ascẽdit vt immolaret Dño hostiam solemne & votum suum nõpe quinq; siclos, Anna
- 1. Reg. 1.* non ascendit, dixit enim viro suo: Nõ vadam donec ablaçetur infans, & ducã eũ vt appareat ante conspectũ Dñi. Hoc enim satis cõtat tam de masculis quã de fœminis Deo dicatis, votoque promissis, lege diuina statutã esse redẽptionem
- Leuit. 27.* quot per annos singulos quisq; siclos persolueret sacerdotibus, eãq; redẽptionẽ fuisse liberã, & ex arbitrio vouẽtis, si vellet potius in tẽplo seruire Deo quã annuã pecuniã soluere. Placuit ergo parẽtibus virgunculẽ nostrã vt vsque ad annum
- ætatis

ætatis eius tertiū filiōlā domi suæ in Nazareth
 decēter educarent, & quātum infantilis ætas illa
 ferret ad diuinas laudes instituerēt, vt cum lacte
 matris pietatē imbiberet. Nunc igitur quādo sit
 ab Ioachim & Anna in tēplo Dñi præsentata Ma-
 ria, audiamus Euodiū Episcopū Antiochenū a-
 postolorū successorē, cuius epistolæ (quā Lumē
 vocabat) fragmentū Nicephorus recitat in histo-
 ria sua, vbi Euodij verba sunt hæc: Trimula cū
 esset, in templū præsentata, ibi in Sāctis Sancto-
 rum traduxit annos vndecim; deinde verò sacer-
 dorū manibus, Ioseph ad custodiā tradita est, a-
 pud quē cū mēses peregisset quatuor, ab angelo
 lætū illud accepit nunciū. Peperit autem huius
 mundi lucē annū agens quindecimū, vigesima-
 quinta die mensis Decēbris. Hæc Euodius, qui
 epistolæ suæ titulum inscripsit Lumen, quod de
 Christo qui est lux mundi tractabat. Hæc de præ-
 sentatione Mariæ attestantur & alij tam Græci
 quàm Latini veteres theologi, quorum testimo-
 nia priusquam produxero, ostendi debere cla-
 rius existimo quæ pars illa templi Salomonis ad
 habitationē fœminis decreta fuerit, ne existime-
 mus in Sāctissimis illis sanctorū locorū partibus
 habitasse virgines aut viduas. Putarunt quidem
 nonnulli, vt apparet ex verbis Origenis, & Cy-
 rilli Alexādrini aduersus Anthropomorphitas,
 in eam opinionem ducti, locum illum in inte-
 riori templo, muro discretum, quo fœminæ tā
 indigēte quam peregrinæ, orationis causa cōue-

*Libr. 2.**Cap. 3.**Ioan. 8.**In Matt.**tractatu**26. Cōtra**Anthro-**pomorph.**Cap. 27.*

*De bello
Iudaico.
li. 6. ca. 6.*

Marci. 11.

*Contra A.
pio lib. 2.*

niebant, fuisse etiam earum habitationem, sed falluntur, nam Origenes & Cyrillus non de loco habitationis mulierum, sed de loco orationis earundem intelligendi sunt. Nā ex his quæ scribit Iosephus, liquidò constat locum illum precum officio fuisse tantummodo ascriptum, dū hæc ait de interiori templo, à quo alienigenæ excludebantur: Necessariò proprius locus religionis causa mulieribus destinatus muro discernebatur, altera quoque porta opus fuisse videbatur. Contra primam portam, secreta erat ex alijs regionibus vna porta meridiana, & vna septentrionalis, quibus ad mulieres introibatur: per alias enim ad mulieres transire non licebat, sed nec suam portam interiecto muro transgredi licebat, patebat enim locus ille pariter indigenis & hospitibus scæminis, religionis causa venientibus. Hæc Iosephus. Quomodo igitur dixerimus illic scæminas habitasse, & quæ sunt necessaria ad victum sibi parasse, quum illuc nec vas inferre, nec comedere fas fuisse, idem Iosephus scribens contra Apionem testetur. Perseueravit etiam in Ecclesia Christi aliquanto tempore laudabilis hic vsus, vt seorsim à viris scæminæ in templo orarent, nec non seorsim ab alijs virgines consisterent. Sed hac de re iterū paulò infra. Nunc ad institutum vt reuertatur oratio, de habitatione scæminarum in templo Salomonis, qui structuram eius ex antiquis descriptionibus diligenter considerat, diuersoria ad hoc

hoc opus valde accommodata in eo fuisse animaduertet. Nam (quod exactè scribit Iosephus) Salomon in circuitu templi in inferiori atrio nouo, quod erat foeminarum, construxit triginta cellas, quæ inter se constipatæ, externè parietes templi fulciebant, etantque inter se peruiæ & patebant singulæ in longum viginti quinque cubitos ac totidem in latum, & viginti cubitis attollebantur. Super has alia series cellarum erat exstructa, super quas rursus aliæ; omnes inter se numero & amplitudine pares; ita vt coniunctæ inferius æquarent altitudinem; nam superius non erat circum ædificatum; sed fuerunt omnes cedro contectæ, erant omnes simul numero nonaginta. Hæc verò & si de templo à Salomone constructo scribat Iosephus: tamè quod sub Zerobabel fuit restitutum, & si prioris templi non æquaret altitudinem, nihilominus ad instar illius esse constructum docent diuinæ literæ. Ac illud demum quod fuit ab Herode rege excitatum, æqualis priori illi altitudinis & amplitudinis fuisse, eiudem Iosephi testimonio comprobatur. In his, inquit Caesar Baronius, quas diximus nonaginta amplissimis cellis, non solum foeminas voti causa Deo oblatas, sed alias insuper diuersi ordinis virgines & viduas habitasse nullus rationis particeps dubitare potest, sed ne quis refragetur, hanc nostram narrationem exemplo & autoritate diuinarum scripturarum ostendamus, in hac templi parte foeminas habitasse.

1. Esdra 3.

Antiq. li.

15. ca. 14.

De bello
Iudæico.
li. 6. ca. 6.

4. Reg. II.

Exod. 38.

Luc. 1.

Li. 2. ca. 3.
Libr. 1. de
Virginib.

tasse. Atque primum ecce nobis occurrit Iosaba filia regis Ioram, quæ clam subtraxit è gladio Athaliæ in necem filiorum Ochoziæ debachātis Ioas filium prædicti regis, quem vnà cum nutrice in templum adductum, ibidem per sex annorum spacium enutriuit, quo vsque palā factum perduxit ad regnum. Atque multò ante hæc tēpora Moses labrum æneum cum basi sua, fecit è speculis mulierum quæ excubabant in ostio Tabernaculi. Qui illum locum sunt interpretati Rabbinus Abenazara, Diuus Hieronymus in tertium caput Esaïæ; & Tostadus, fuisse dicunt mulieres, quæ seculi pompæ atque delitijs renunciātes, sese vnà cum suis rebus, præsertim quæ essent peccatorum illecebræ ministerijs Domini mancipantes, assiduis intentæ precibus excubarent ad ostium Tabernaculi. Quod quidem pietatis officium, extructo postmodum templo, non cessasse, sed (vt cetera) magnificè auctum par est credere. Ex harum numero fuisse Annam prophetissam filiam Phaniel creditur, de qua S. Lucas euangelista scribit, quòd annos octoginta quatuor nata, iam vidua ab adolescentia sua, cum vixisset cum marito septem tantum annis vacans precibus die ac nocte non discedebat de Templo. Mentio quoq; habetur de Virginibus reclusis in Templo, sub tempora Machabæorum, quòd procurrebāt ad Oniam summum Sacerdotem; de quibus sanctus Ambrosius cum de Virginibus agit: Etiam, inquit, Templo

Templo Hierosolymorum fuisse legimus virgines deputatas. Hæc ille. Quæ quoque Clemens Rom. Pont. in Constitutionibus Apostolicis, & Gregorius Nazianzenus pluribus verbis confirmât. Ad eundem planè modum Virgo Maria in Tēplo reclusa fuit. Nūc quæ paulò ante promissimus testimonia veterū Ecclesie sanctæ Patrū de hac Beatissimæ virgunculæ in Tēplo Hierosolymitano Præsentatione producā. Euodio igitur superius citato Epiphaniū quidē nō adiūgimus quòd hic de Præsentatione Mariæ in Templo (quod equidem sciam) non tractat, sed in eius locum Gregorium Nyssenum substituimus qui licet Epiphaniō ætate iunior eodem tamen Epiphaniū sæculo claruit, qui rem gestā describēs: Quom verò creuisset, inquit, puella, vt non amplius opus haberet sugere mamillam, eam Deo (Anna) tradidit, & promissum impleuit, & ad Templum adduxit. Sacerdotes autem interim ad similitudinem Samuelis, inter Sanctos educabant puellam. Hæc Nyssenus. Huic subiungo Ioannem Damascenum cuius verba otiosum sit hoc loco repetere, cum Euodio & Nysseno planè succinat. Et huic substituo Andræā Crentensem, qui de Mariæ parentibus, deque ortu, & oblatione seu præsentatione eiusdem in Templo Hierosolymitano prorsus eadem repetit nō aliter quā si suprā citatos autores omnes legerit. Sæctus quoq; Gæorgius Nicomedie archiepiscopus elegantissimā orationē in festo Præsentationis Marice

*Li. 2. c. 61.
In somnio
de Anastasia.*

*In oratione
1. de humana
Christi
Natiuita
apud Su-
rium To-
mo septi-
mo.*

*Lib. 4. or-
thodoxæ
fidei c. 15.
Sermo. de
dormitio-
ne Despa-
ra.*

*Extat
hæc ora-
tio in Su-
riū Tomo
6. de Præ-
sen. Mar.*

Mariæ habuit, in qua narrat hæc quæ sequuntur verba: Atque iam qui virginem pepererāt ad templi eam fores adducebant, angelis eam circumcirca stantibus. Et idem infra in eadem oratione: Tunc, inquit, qui munus sacerdotale obibat Zacharias, dono prophetico inspiratus, Virginis aduentu est letatus, cōsiderabat enim animi eius immensam pulchritudinem, mores incomparabiles, & vitam compositam. Quamobrem indies procedente ætate crescebant in eadona Spiritus, versabatur cum angelis, nec erat expers diuinarum apparitionum. Vidit enim Zacharias quendam cum ea sermocinantē inusitata specie; & ei præbentem alimentum. In libris Regum Angelus per coruum seu corui speciem, pavit panem & carnem Eliam. Et similiter per intermedium Abacuck pavit Danielem in lacu leonum; sed hinc nullo intermedio accedit angelus ad virginem. Hæc Gregorius Nicomedis Archiepiscopus. Sanctus quoque Germanus Archiepiscopus Constantinopolitanus simile encomium sanctissimæ Dei parentis conscripsit, quomodo à suis parentibus fuerit in templum adducta tres annos nata: Intueamur, ait, Dei parentem, quemadmodum a parentibus hodie virgo sacratissima in templum Dei, per eius sacerdotes adducitur, quemadmodum templum Dñi animatum templo inanimato dedicatur, quemadmodum Propheta Zacharias eam sua manu accipit, & adducit in adyta. Et post pauca: Deinde matrem

3. Reg. 17.

Dani. 14.

Extat apud Suriū
Tom. 6.

trem allocutus: Vnde nam, ait, orta es o mulier? Ego, inquit illa, sum Anna ex genere sacerdotali & tribu Aaronica, radice, prophetica & regia, Davidis autē & Salomonis, & eorum qui deinceps fuere sum ramus. Sum autem cognata vxoris tuę Elisabeth. Deinde viro coniuncta secundum legem Domini, inuenta sum sterilis & infertilis multis annis. Nullum autem inueniens medicamentum quod mederetur meę calamitati ad Deum confugi. Et cetera. Et paulo infra ibidem: Cum hæc verba audisset Zacharias allocutus Annam, Benedicta, inquit, est radix tua, o foemina imprimis veneranda. Et cetera. Post pauca: Cum sic dixisset puellam vbi oportebat deposuit. Puella valde læta & exultans ibat in templum Dei tanquam in thalamum, cum etatis ageret annum tertium. Hęc & plura sanctus Germanus. Est & inter Opera Diui Hieronymi incerti auctoris scriptum de Natiuitate Marię, è quo & ante quędam decerpimus, & sicut & nunc hic locus postulat, quędam delibabimus quę sequuntur. Cumque inquit auctor ille, trium annorum circulus volueretur, & ab lactationis tempus completum esset, ad templum Domini, virginem cum oblationibus adduxerunt. Erant autem iuxta Templum, secundum quindecim graduum psalmos, quindecim ascensionis gradus. Nam quia Templum erat in monte constitutum, altare holocausti quod forinsecus erat, adiri, nisi gradibus nõ valebat. In horum

*De Natiuitate
Marię.
Tom. 4.*

horum itaque vno, beatam Virginem Mariam paruulam parentes constituerunt. Cumq; ipsi vestimenta quæ in itinere habuerant exuerent, & cultioribus ex more vestibus se & mundioribus induerent, Virgo Domini cunctos sigillatim gradus, sine ducentis & leuantis manu ita ascendit, vt perfectæ ætati, in hac dumtaxat causa nihil deesse putares. Iam quippe Dominus, in Virginis suæ infantia, magnum quid operabatur, & quanta futura esset, huius miraculi iudicio præmonstrabat. Igitur sacrificio secundum consuetudinem legis celebrato, & voto suo perfecto Virginem intra septa Templi, cum alijs Virginibus ibidem educandam, dimiserunt: ipsi vero domum regressi sunt. Hæc ille. Et quanquam sint quidam qui hæc vt ignoti, & imperiti auctoris scriptum rejciunt, dum ait, illis temporibus quibus hæc acciderunt fuisse Issachar pontificem (nō tamē summū Pontificem) (quod illi falso impingit Cæsar Baronius Soranus) sed pontificē seu sacerdotem, quē vt modō audiuius, Georgius Nicomediæ, & Germanus Constantinopolis Archiepiscopi Zachariā vocāt tamē vt error cōmissus sit per scriptorē, esse potuit, qui pro Zacharia Issachar posuerit. Sanè Baronius ipse in ea est sententia vt Zachariam patrem Ioannis Baptistæ ab Herode necatum credat, verba Iosephi citans hæc: Ad sex millia Iharisæorū noluisse iurare Herodi nec Cæsari, cū tota gēs Iudæorū fidē suā eidē regi iureiurādo obli-

*Soranus
in Appa-
ratu hist.
Eccles.*

*Antiqui-
ta. lib. 17.
cap. 3.*

obligasset, ac eadem de causa ab Herode male exceptos esse: etiam Eusebius ait, Scribas quoque & interpretes diuinæ legis ab Herode simili scelere occisos. Et paulo infra idem Baronius: Adhæc etiam spectare videtur, ait, quod scribit S. Petrus Episcopus Alexandrinus & martyr in suis regulis Ecclesiasticis, quas recepit atque probauit sexta synodus occasione huius infanticidij (Innocentium puerorum) Zachariam Sacerdotem Ioannis patrem, quod à nece, quæsitum filium subtraxisset ab eodem Herode inter templum & altare occidi iussum: scribit hæc istis verbis: Cum quibus (Innocentibus) Herodes & alium prius natum infantem, cum interfecuturus quæsiuisset & non inuenisset, patrem eius Zachariam interfecit inter templum & altare, cum effugisset filius cum matre Elisabeth. Hæc Petrus. Non quod edicto Herodis includeretur Ioannes qui nec in Bethlehem, nec in finibus eius, sed in domo paterna in Montanis Iudææ alebatur, sed quod Herodes suspicione nati regis Iudæorum vehementer exagitatus esset: cum enim ad aures eius peruenissent admiranda illa que in Conceptione & Natiuitate Ioannis contigissent, eum Christum esse ratus (sicut & Iudei postea eodem errore lapsi sunt, ipsum speciali mandato necari iussit, ut se ea suspicione liberaret. Magna certe fuerat illa, atque in ore omnium peruulgata. Nam ut ait euangelista: Factus est timor super omnes vicinos eorum, & super omnia Mōtana Iudææ diuulga-

Canon. 3.
Sexta synod. ca. 1.
apud
Theod.
Balsam.

Luce 1.

diuulgabatur omnia verba hæc: & posuerunt omnes qui audierant in corde suo dicentes: Quis putas puer iste erit? Equidē sicut cū tātus sacerdos pater eius Zacharias offerens incensum in templo mutus est redditus, quod visionem vidisset cognouit populus: sic etiam reddita illi loquela ac ministrante in templo, tantæ rei causa neminem latuit. At quod sciebant omnes, Herodem præteruisse ac ignorasse stultitia est dicere, sicut & obtusæ mentis, existimare; Herodem hæc tanta dissimulasse, vel patientia tolerasse. Hæc dixerim, inquit Soranus, quo magis nobis proberur Zachariæ necis causa à Petro Alexandrino allata, licet ex Apocryphis accepta noscatur, quam his verbis recenset Cyrillus Alexandrinus: Hic Zacharias prophético spiritu ad occultorum cognitionem deductus, cum mysterium Virginis de eximio partu probe intelligeret, non arcuit incontaminatam purissimamq; matrem ab eo templi loco qui virginibus ex lege designatus erat, docens nimirū Iudeos quod creator totius vniuersi, & omnis creaturæ Rex humanam naturam, vt reliqua etiam omnia, subiectam habet: pro suo arbitratu eā ad quodcunque velit ducens, non autem ipse creaturæ addictus, adeò vt in ipsius potestate sit situm, nouam creaturam creare quæ matrem effectam virginitate non priuet, idcirco non arcuit eam à loco templi virginibus dicato. Erat enim locus hic inter altare & templum intermedius.

Quan-

*Aduersus
antropo-
mophy-
345.*

Quando igitur audierunt, regem totius creatio-
nis ad humanam natiuitatem diuino consilio
procedere, veriti ne in eius regis potestatem ve-
nirent, eum qui hæc de partu testificatus erat,
interficiunt, Sacerdotem sacrificantes. Hæc Cy-
rillus. Narrant eadem Origenes, Gregorius Ny-
senus, Basilius, & alij post eos. Haud dubium in-
quit Soranus, est, de his intellèxisse Hierony-
mum dum ait: Alij Zachariam patrem Ioannis
intelligi volunt, ex quibusdam Apocryphorum
somnia approbantes, quod propterea occisus sit
quia Saluatoris prædicauerit aduentum, hoc
quia de scripturis non habet autoritatem, ea-
dem facilitate contemnitur quâ probatur. Hæc
ille. In eam sententiam magis inclinans vt Za-
charias ille quem Dominus, exprobrans Iudeis,
interfectum dicit inter templum & altare, non
fuerit pater Ioannis, de quo agimus, sed ille po-
tius qui à Ioas rege inter templum & altare oc-
cisus est, quem tamen Ioiadæ fuisse filium eadē
diuina scriptura testatur, quamuis, quod citat
in Euangelio Nazarenorum pro filio Barachia
filium Ioiadæ scriptum esse dicat. Ex quo etiam
Epiphanius eundem Ioannis patrem, Ioiada ge-
nitum esse tradit, qui & Zachariam Prophetam
Barachia natum scribit. Certè si fides præstan-
da est, inquit Soranus, Hippolyto martyri au-
ctori grauissimo, eius testimonio exploratum
habetur Zachariam Ioannis parentem filium
fuisse Barachia. Sacerdotis apud Nicæhorum

*Orig. in
Matth.
tractatu
26.*

*Sermo de
Christi
Natali.
Basilius
homilia
de Christi
Natiuit.
Hieron. in
Mat. c. 23
Mat. 23.*

*2. Paral.
24.*

*Epiphan.
de vita et
interitu
propheta
1111.*

Nice. lib. 2. cap. 5. in Ecclesiastica historia. Et de patre Ioannis, ait Soranus Christum Dominum esse locutum, illa etiam ratio persuadet quod dicens: Veniet super vos omnis sanguis iustus qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachæ, voluerit primum & nouissimum iustum occisum significare, omnesque simul his duobus extremis includere. Nam si de Zacharia filio Ioiadæ, qui à Iosias rege occisus est, intelligere voluisset, quæ subest ratio diuersitatis vt sanguis iustus qui post illum vsque ad Christi tēpora effusus est, non esset (quod minatur) super illos venturus? Nec satisfacit his illa respōtio qua dicitur, quod scriptura tantum explicat peritionem vindictæ in Abel & Zacharia. In Abel enim dicitur: *Gene. 4.* Ecce vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. Et in Zacharia cum narrat eum dixisse morientem: *2. Par. 24.* Videat Dominus & requirat. Quasi reliqui iusti etsi vltionem non expectierint, diuinæ scripturæ testimoniis vindictam sui sanguinis non sint consecuturi, rectè clamant, Vindica sanguinem nostrum. Et vindictam tribuet Dominus in hostes eorum. An *Apoca. 6.* non & Machabæi fratres, cum ab Antiocho ex-
Deute. 32. cruciarentur, futuram in illum Dei vltionem
2. Macca. 7. sunt comminati, dicente ex illis primo: Aspiciet Deus veritatem, &c. Et quidem non tantum prædicti auctores, Origenes, Basilius, Gregorius Nicomedæ, & Cyrillus, & Petrus Alexandrinus

andrinus Zachariam Ioannis patrem occisum tradunt inter templum & altare (licet de causa necis non æquè conueniant) sed id ipsum testatur Epiphanius, sic dicens: Hunc Herodes ille tyrannus, iuxta aram domumque Dei occidit, effususque est sanguis eius in vestibulo templi. Sed quod ad effusum sanguinem spectat, ad hæc Hieronymus: Simpliciores fratres inter ruinas templi & altaris, siue in portarum exitibus qui Siloam ducunt, rubra saxa monstrantes, Zachariæ sanguine putant esse polluta. Non condemnamus errorem, qui de odio Iudæorum, & fidei pietate descendit. Hæc ille. Sed certè, inquit Soranus, non erat ea de re recès vulgi rumor, quandoquidem Tertullianus, qui tot sæculis præcessit Hieronymum, in Scorpiaco hæc testata reliquit his verbis: Zacharias intra altare & ædem trucidatur, perennes cruoris sui maculas silicibus adsignans. Hæc ille. Memini me, ait Soranus, aliquando incidisse in antiquum codicem manuscriptum positum in Bibliotheca Vaticana: de Peregrinatione ad loca Sancta, in quo eadem de Zachariæ sanguine lapidibus templi indelebili nota inherente certa fide consignata erant. Hactenus omnia Soranus. Quæ omnia verbatim ex ipso longius recitavi, vt declararem Soranum quoque in hac esse sententia, vt Zachariam existimet illum Sacerdotem qui sub ortum Mariæ, & insuper sub natiuitatem pueri Iesu cum

*De vita
& interitu
prophe-
tarum.
cap. 23.*

*In Math.
cap. 23.
In Scorp.
cap. 8.*

*Ex Appa-
rata eius-
dem.*

*Theophy-
la. in Lu-
cam 2.*

*Lib. de vi-
ta & in-
terit pro-
ph. c. 24.*

*De incō-
par. Virg.
Lt. 1. c. 12*

su cum Simeone iusto, non Sacerdote, sed lai-
co ciue Hierosolymitano propheta iusto timen-
te Deum: & à Sacerdotibus honorato (vt Epi-
phanus asserit) testimonium puero IESV de-
derit. Quare non ergo scriptoris, vel Typogra-
phi vitio & errori tribuamus, si scriptum illud
quod inter Hieronymi opera extat pro Zacha-
ria Isachar continet. Sanè quæ in operibus Hie-
ronymianis, inquit Canisius, de Mariæ ortu,
Præsentatione, pueritiaque leguntur, neq; nos
contendemus, vt isthæc narratio authori Hie-
ronymo Stridonensi attribuat: Verum enimue-
ro, vt opus hoc non sit Hieronymi proprium,
an idcirco Christiani etiam ac veteris Doctoris,
boniq; Theologi opus esse desistet? Quis libros
Regum & Iob scripserit nondum cōuenit in-
ter eruditos, & plura sunt scripta Biblica de quo-
rum certis autoribus adhuc subiudice lis est. Idē
multorum veterum monumentis accidit, quæ
propterea velut suspecta, notha, & impura non
sunt reijciēda, quòd velut exposititij partus, suos
parentes ignorent. An non morosi conuiuæ, ac
nimium inhumani videntur hospites, qui cibos
aliunde & ex locis longinquis apportatos, vel à
cocis peregrinis preparatos fastidiunt atq; con-
temnunt? digni sanè quos fames tantisper excru-
ciet, donec se gratiores, magisque comes de-
clarent hospiti, à quo sunt ad mensam in-
uitati. Utinam huic sæculo mentem sanio-
rem largiatur Deus, vt quid dicatur, non

YCI

verò quis dicat attenderent homines, ac veritatem ipsam omni studio candidè peruestigarent; neque tanto supercilio inexplorata damnarent, ac de alienis tam temere iudicarent. Ego nihil omnino vetare censeo, quò minus eas complectamur historias, quæ nihil periculi ac vitij habent admixtum, & maiorum traditione, veterumque scriptorum narratione fulciuntur, nullo unquam ex bonis, piisque Doctoribus contradicente. Quod si superciliosi quidam & nauseabundi adhuc respuunt, quæ de Mariæ parentibus, oblatione, pueritiaque veteres crediderunt, docuerunt, atque scripserunt, non deerunt tamè alij, ac maiore quidem iudicio sapientiaque præditi, qui eadem non modò libenter amplectantur, sed cum fructu etiam legant: sibi que persuadeant Deum, ut alibi sæpe, ita etiã hic in Maria virguncula gloriosum ac mirabilè extitisse. Ad quã rē fortasse conferet, si Baptistæ Mātiani nō inelegas carmè adscripsero, quo præfens historia de oblata in tēplo Virgine haud parū illustratur. Sic ergo canit eruditus ille Poëta.

Psal. 67.

*Mos erat antiquus longum servatus in ævum
 Æde puellares annos includere sacra,
 Ætatemque Deo teneram, primumque dicare
 Virginea florem vitæ, & generare pudoris
 Ingenui curam, sanctosque inducere mores.
 Mox ubi vestitum prima lanugine tempus
 Venerat, in thalamos ibant, Hymeneaque lecta.
 Coniunctaque viris proli indulgere solebant.*

Li. I Parthenices
Mariana

Propterea legum memores, & meris auiti
 Venturi Solymam prima cum prole parentes
 Deseruere solum, Galilæa q̄ Nazareth arua
 Floribus intextis & odoro gramine cinxit
 Virginis ora parens, stellata lumina frontis
 Hærebant cælo, teneroque in pectore clausum
 Numen erat: niueo tunica talaris amictu
 Albebant humeri, quam circumtextus oliuæ
 Laureus ambibat torques ad colla per imas
 In strophium flexis palma ibat frondibus oras
 Matris opus, mollique sinus variauerat auro.
 Ventum erat ad magni templū sublime Tonantis.
 Quò ducit ter quumq̄ gradus de marmore viuo
 Et iam porrectis curuabat prona lacertis
 Serua manus summum ad limen latura puellā
 Cum mox virgineo conceptum pectore numen
 Adsuit, & retrahens promptæ sinuata ministra
 Brachia, debilibus plantis animoq̄ vigorem.
 Addidit, & supra atatem fiducia creuit
 Protulit audaces, sublata cyclade passus
 In sublime volans Virgo, turbamq̄ relinquens,
 Sicut ubi, multe volitant ad littora puppes
 Ocyus illa subit portum, qua mole minori
 Labitur; & melius velis & remige fertur.
 Vertice iam summo, magni penes atria templi
 Stabat, ubi ascensu fessos solata parentes
 Risit, & aeternum curuato poplite numen
 Cum nuribus venerata p̄s, in claustra recessit
 Virginæ secreta domus: fleuere parentes
 Cognatæq̄ nurus, gemitumq̄ dedere ministra
 Quando

*Quando è conspectu vultus abitura nitente
Verit, & induxit sublatam in tecta Sacerdos.
Congruūt hęc plane cum testimonio Gotfridi
Viterbiensis qui Baptista Mantuano est longe
antiquior, minus verò disertus, ac pro sui quidē
sæculi ratione simpliciter canit.*

*Mos erat in templo teneras seruare puellas
Quas ibi lege sua cum religione reseruant.*

De Maria porrò hęc addit.

Nata maris stella Regina Maria nouella

In templo Domini nocte dieq; fuit.

Creuit, & à cunctis meruit vehementer amari

Moribus & specie dignior absq; pari

Ceterum Hieronymus Vida qui nostro sæculo
inter Poetas floruit, superioris. Historiæ summā
hęc disticho feliciter comprehendit.

Continuo sedes reliquisti paruula auitas

Templi aditis oblat a parentum debita votis.

*De Mariæ studijs, moribus & vita in
pueritia: & de despōsatione eiusdem,
vsque ad Angeli salutationem
annūtiatamq; Christi con-
ceptionem.*

C A P V T I X.

Porrò sicut nō absq; diuini numinis cōsilio
& ope, cōcepta est nataq; Maria, ita & mul-
to magis pueritia eius & educatio Domino

*In 4. par-
te Chroni-
ci eiusdē
auctoris.*

*Pfal. 26.**In Compendio hystoriarū.**In Apparatu sua hyst. eccl.*

Deo curæ fuerunt, vsque adeo vt iam temple inclusa rectè cum Psalmita dixerit: Pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me. Et rursus id quod in eius persona testatur Ecclesia: Cum essem paruula placui altissimo. Narrat Georgius Cedrenus Mariam viuo adhuc patre in Hæbraicis literis institutam, & anno suæ ætatis vndecimo vtroq; parente orbatam fuisse, Ioachim quidem octogenarium, Annam verò natam annos vnde octoginta vitam finiuisse; & si qua re opus habebat, Mariam ad solam iuisse Elisabet cognatam suam templo vicinam. Sed Cæsar Baronius hæc Cedreni de tanta parentum Mariæ ætate qua mortui sint vix recipit: Licet inquiring de re tam antiqua haud libenter recenti authori hæc sine teste affirmanti assensum præbeamus. Vt igitur & nos æqua lance Cedreni verba hæc iterum expendamus, an quin vera esse possint, nullum in his subsit impedimentum dispiciamus. Imprimis autem illud positum sit quod omnes ecclesiastici scriptores attestantur, Ioachim & Annam in suo coniugio viginti circiter annis sine liberorum procreatione vixisse, idque contigisse ex Annæ sterilitate, quibus viginti annis si addas vndecimum ætatis Mariæ, (quo secundum Cedrenum) Ioachim octogenarius & Anna vno minus quam octoginta annos nata vitam finiuerunt, sequeretur Ioachim genuisse Mariam dum esset natus annos sexaginta nouem, Annam

namque ex ipso concepisse etatis suae anno sexagesimo octavo, quibus quando viginti subducis annos in coniugio sine prole transmissos, fit ut Ioachim vnus & quinquaginta fuerit annorum, beata Anna quinquagenaria quando matrimonio iungebantur. Verum hac vtriusque aetate, non solum infœcunditatis Diuæ Annæ impedimentum, sed etiam concipiendi imbecillitas obfutura fuisset, quando ex auctoritate Beati Augustini natura comparatum scimus senem ex sene non concipere, maximè quom foeminæ quinquagenariæ muliebria deficere incipiant. Ad hæc quæ ignominia Ioachimo in templo Hierosolymorum esse poterat, si ex tam annosa nihil procreasset? Credibilior aliorum est sententia qui referunt diuam Annam post viginti annorum sterilitatem, miraculosè impregnatam anno ætatis suæ tricesimo septimo, quo tempore putant Ioachim virum fuisse annorum quadraginta quinque, ut perspici euidentissimè potuerit nullum in hisce cõiugibus fuisse prolificationis obstaculum aliud quam solam sanctæ Annæ sterilitatem. Sed ad virgunculam nostram reuertamur. Mariæ symmetria seu proportio corporis, ut apud Nicephorum legimus, erat statura mediocri, quãuis sint qui eã mediocrem staturã excessisse velint aliquantulum, colore erat frumentum referre, capillo flauo, oculis acribus, subflauas, & tanquam oleæ colore pupillas in eis habens,

De ciuitate Dei.
li. 16. c. 28

Eccle. histo. libr. 2.
Memborum Mariæ cõmensus.

*De Nati-
uitate
Maria.*

*In Vita S.
Lucæ vide
Surium.*

supercilia ei non erant inflexa, sed decenter nigra, nasus longior, labia florida & verborū suauitate plena, facies non rotunda vel acuta, sed aliquanto longior, manus similiter, & digiti longiores. Erat denique fastus omnis expers, simplex, minimeque vultum fingens, vestimentis natiui coloris contenta fuit, id quod sanctum eius capitis velamen ostendit. Et vt in sermone illo legitur qui inter opera Hieronymi habetur: Quotidie ab Angelis frequentabatur, quotidie diuina visione fruebatur, quæ eam à malis omnibus custodiebat, & bonis omnibus redundare faciebat. Hæbraicas primùm literas didicit, & operas suas tam literarias quàm manuaras in certas horas partiebatur: A primo enim diluculo vsque ad horam diei Tertiam orationibus, & meditationibus sanctis insistebat, à Tertia vsque ad Nonam exercebat se in opere lanificij & textilibus, pauciloquæ prorsus & sobria: à Nona denique iterum orationi se dabat, nec ab ea recedebat nisi Angelico colloquio exhilarata, post quod cibum sumpsit, & quietem adiit. Fertur & Sanctus Lucas Euangelista postquam nouisse eam cœpit, hanc penicillo suo ad viuum depinxisse pictor ipse & medicus, & hanc Antiochiæ in natali solo suo in templo reliquisse, qua de re Simon Metaphrastes: Hoc, inquit, inter cetera gratissimum est quod ipsum assumptum typum humanitatis Christi, & iconem eius quæ illum peperit

peperit Sanctus Lucas Euangelista primùm omnium cæra & lineamentis pingens, vt ad hæc vsque tempora in imagine honorarentur, tradidit: tanquam non satis esse existimans mente & spiritu cum his esse, quod desiderabat, nisi etiam per imaginem ac typum versaretur cum eis, quod feruentissimi amoris indicium est. Hæc Metaphrastes.

Et de hac etiam imagine Virginis per Lucam depicta scribit Nicephorus, Pulcherram Imperatricem templum Constantino- poli construxisse, in quo eandem ex Antiochia missam posuit.

Hoc igitur corporis Mariæ filium, hoc vitæ institutum erat illis annis vndecim quibus inclusa templo fuit, quibus iam peractis annum ætatis suæ decimum quintum attingere cœpit, quamobrem de maritando eam inter Sacerdotes initur consilium. Qui enim Deo deuoti erant homines nubebant statuto tempore, sicut de Samuele legimus, qui & ipse in templo ab Anna & Elcana oblatus fuerat, quod vxorem duxerit ac liberos suscepit. Quid autem statuerint non sine diuino consilio de virguncula Maria Sacerdotes Gregorius Nyssenus his verbis recitat: Cùm puella creuisset & adulta esset, Sacerdotes consilium agitare, ne quid de illo sacro corpore statuente in Deū peccarent, cœperunt: nam subiugare eam legi nature, & addicere quasi seruam, si quis eam in
matri-

*Eccl. hist.
li. 14. c. 11.*

*Desponsa
tio Maria*

1. Reg. 1.

1. Reg. 8.

*In oratio
ne de san
cta Chri
sti Nati
uitate.*

matrimonium duceret, res longè absurdissima minimeque decora videbatur. Sacrilegum enim prorsus existimabatur si homo ius ac potestatem in donarium, quod Deo consecratum dedicatumque esset, haberet: quoniam legibus sancitum & constitutum est, ut vir potestatem habeat in uxorem. Ut autem intra templum vna cum sacerdotibus mulier versaretur, & in Sanctis conspiceretur, neque consuetum neque vsitatum erat, & simul grauitas & honestas rei non aderat. Deliberantibus igitur eis super hac re, diuinitus incidit consilium, ut darent eam cuidam viro nomine desponsationis, qui ad custodiendam eius virginitatem esset idoneus. Inuentus est igitur Ioseph talis qualem ratio consilij requirebat, ex eadem cum Virgine familia & tribu, isque de consilio sacerdotum sibi puellam despondet, coniunctio autem non vltra sponsalia progrediebatur. Hæc Gregorius Nyssenus. Deligitur itaque in maritum Virginis vir iustus Ioseph eius contribulis, ex stirpe David oriundus quidem, sed opificio faber. Neque enim ad pecuniam, neque ad honores inspicere, sed ad genus per antiquam lineam ductum atque probatum, in contrahendis nuptiis penes Iudæos fuisse consuetudinem testatur Iosephus, cum agit de matrimoniis Sacerdotum, ut non mireris si viro fabrilis artis Sacerdotum consilio (quorum erat officium de his qui semel

Deo

*Contra
Appionē.
lib. i.*

Deo oblata erant disponere) nuptui traditam audias. Consulto igitur opus erat, quid de ipsa, quæ se voto virginittatis perpetuæ Deo consecrasset, agendum esset. Magni certe pretij fuisse tunc apud Iudæos virginittatem Iosephus attestatur, dum laudat Essenos qui vitam sine vxore ducentes perpetuæ se continentiaë mancipabant. Epiphanius sortibus Virginem Iosepho obtigisse scripsit, cum ait: Primum enim quando Virgo tradebatur ipsi Ioseph, sortibus cogentibus ipsam ad hoc venire, non tradita est ipsi ad coniunctionem (si verum dicere oportet) quoniam viduus erat, sed propter legem quidem vir ipsius vocatus est: iuxta consequentiam verò, ex Iudeorum traditione ostenditur quod non coniunctionis gratia ipsi tradebatur Virgo, sed quo conseruaretur in testimonium futurorum, quod non spuria dispensatio aduentus in carne accessit, sed quæ testimonia haberet in veritate extra semen viri in Spiritu sancto dispensata in veritate. Hæc ille: attamen quod viduum affirmat fuisse Ioseph, nos iam supra vanum esse demonstrauius. Ceterum quia sortibus cogentibus hanc Virginem Iosepho desponsam, idem Epiphanius ait, nec cuiusmodi sortes illæ fuerint explicatę, libelli verba qui in Hieronymi operibus inuenitur his ascribere non grauabor: Itaque ad quartum decimū, inquit, annum (Maria) peruenit vt non solum nihil de ea mali, reprehensione dignū confingere

*De bello
Iudaico
lib. 2. ca. 7*

*Huius libri
ca. 6.
De Natiuitate S.
Maria.*

possent, sed & boni omnes qui eam nouerant, vitam & conuersationem eius admiratione dignam iudicarent. Tunc Pontifex publicè denunciabat ut virgines quæ in templo constitutæ erant, & hoc ætatis tempus implessent, domum reuerterentur, & nuptiis secundum morem gentis, & ætatis maturitatem, operam darent. Cui mandato cum ceteræ pronæ paruissent, sola virgo Domini Maria hoc se facere nō posse respondit, dicens: Se quidem & parentes suos ipsam Domini seruitio mancipasse; & insuper seipsam Domino virginitatem vouisse, quam nunquam, viro aliquo commixtionis more cognito, violare veller. Pontifex vero in angustia constitutus animi; quum neque contra scripturam, quæ dicit: Vouete & reddite; votum infringendum putaret; neque morem gentis insuetum introducere auderet, præcepit ut ad festiuitatem quæ imminebat omnes in Hierosolymis & vicinis locis primores adessent, quorum consilio scire posset quid tam dubia de re faciendum esset. Quod quum fieret, omnibus in cōmune placuit, Dominum super re esse consulendum. Et cunctis quidem orationi incumbentibus, Pontifex ad consulendum Deum ex more accessit. Nec mora cunctis audientibus, de oraculo & de propitiatorij loco vox facta est secundum Esaiæ vaticinium, requirendū esse cui virgo illa cōmendari & desponsari deberet. Liquecet enim Esaiam dicere: Egredietur virga de radice

Esai. 75.

Esai. 11.

radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Dñi, &c. Secundum hanc ergo prophetiam cunctis qui de domo & familia Dauid nuptui habiles essent non coniugatis virgas suas afferre ad altare edixit, & cuiuscunq; post allationem virgula germinasset, & in eius cacumine Spiritus Domini in specie columbae insedisset, ipsum esse cui virgo commendari & desponsari deberet. Erat autem inter ceteros Ioseph, homo de domo & familia Dauid graderus, cunctis vero virgas suas ordine deferentibus, solus ipse suam subtraxit. Unde cum nihil diuinae voci consonum apparuisset, pontifex iterato Deum consulendum putauit, qui respondit, solum illum ex his qui designati erant virgam suam non attulisse, qui virginem desponsare deberet. Proditus est itaque Ioseph, cum enim virgam suam attulisset, & in cacumine eius columba de caelo veniens insedisset, liquido omnibus patuit, ei virginem desponsandam fore. Igitur nuptiarum seu sponsalium iure de more celebrato, ipse quidem in Bethlehem recedit ciuitatem, domum suam dispositurus, & nuptijs necessaria procuraturus: Virgo autem Domini Maria, cum alijs virginibus septem coeuis & collataneis quas a Sacerdote acceperat ad domum parentum suorum in Galilaeam reuersa est. His vero diebus, primo scilicet aduentus sui in Galileam tempore, missus est ad eam Angelus Gabriel a Deo in ciuitatem Galilaeae cui nomen Nazaret. Haec ille.

Verum

*In Opus-
culo de
fortibus.*

*Et 2. 2. q.
95 ar. vl.*

Verum amice Lector quom audis sortes datas, ne existimes sortilegia hinc per diuinos & ariolos esse perpetrata qui pactum habent cum cacodæmone, scies enim sortem esse triplicem, nempe diuinatoriam, consultoriã, & partitoriã secundū distinctionē B. Thomę Aquinatis, qui sic scribit: Sors est actio, ex cuius cōsiderato euentu aliquid occultum innotescit. Aque secundum hanc definitionem, sortibus vti nō est peccatum mortale in toto seu vniuersum, id est, nō omnis sors est prohibita. Sola enim sors diuinatoria est damnata, estq; peccatum mortale, quia innititur pacto & societati cum cacodæmone factis, & hęc repugnat primo articulo fidei Christianę, hic enim dicit: Credo in Deū: sortilegi verò dicūt: Credo in diabolū. Sed sors cōsultoria qua expectatur iudiciū seu reuelatio à Deo, quaque cōsultitur Deus quid faciendū sit, est licita in tribus casibus, quorum primus est, in casu necessitatis, quando aliter sciri non potest quid sit faciendum vel omittendum. Sed sine tali necessitate, sorte consultoria vti, esset tentare Deum, quod illicitum est. Secundus casus est vt sors consultoria cum reuerentia Dei fiat. Tertius casus est vt sit negotium spirituale super quo Deum consulere volumus. Nam pro rebus temporalibus distinguendis, vtimur sorte partitoria, seu diuisoria, atque hęc est licita, quia est contractus ciuilis, & fit cum voluntate eorum qui in eandem rem

COM. B.

commune ius habent, cuius rei vel possessionis partitio facienda est. Iam ut vnde digressi sumus reuertamur, sorte consultoria electus est Matthias Apostolus, eademque sorte Ioseph demonstratus est dignus qui esset sponsus perpetuae Virginis Mariae. Desponsatione igitur in templo Hierosolymis peracta, Ioseph abiit in Bethlehem, Maria in Nazaret in domo parentum, ubi ad eam missus est Angelus Gabriel salutans eam eique annuncians quod conceptura esset filium Dei. Itaque priusquam rediret Ioseph in Nazaret, & antequam conuenirent, ad cohabitationem, inuenta est Maria habens in utero de Spiritu sancto. Reliqua ex Euangelio inueniri possunt. Et de Virguncula igitur hac in Templo Domini commorante, & eiusdem desponsatione, salutationeque Angelica, atque filij Dei conceptione diximus haecenus; nunc quid interea domi parentes eius egerint in Nazareth, persequar, praesertim vtrum vninuba tantum, an plurinuba sancta mater Anna fuerit. Scribit enim Georgius Cedrenus, sicut initio huius capituli noni retulimus Ioachim anno aetatis Mariae virginis vndecimo esse viuis excessisse, & recentiores Ecclesiastici aliquot scriptores, Ioannes Gerson & similes paulo post Mariae Praesentationem in Templum, vita defunctum esse.

*Acto. 1.**Luca 1.**Matth. 1.**In Cōpē.
hist.**In sermo.
de Natiui.
Maria.*

K

Vtrum

*Vtrum plus semel Anna Maria
parens nupsert?*

CAPVT X.

Est profectò hæc oppidò per quam abditæ rei quæstio, cuius vtraque pars tam affirmatiuà quàm negatiua probabilis est, quã obrem antequam temerè forsitan aliquid hac de re statuam, quid quantumque nobis hac de re diuina scriptura & Ecclesię Patres conscripserint proferam. Qui partem aientem sequuntur locum illum Euangelij proferunt in quo legitur quòd stabant iuxta Crucem Iesu mater eius & soror matris eius Maria Cleophæ. Ex quibus sanè verbis, si Maria Cleophæ vera & vterina soror Mariæ Virginis esset, consequeretur beatam matrem Annam secundas expertam esse nuptias; nam quod Maria illa Cleophæ sit filia Ioachim probabile nō est. Ceterum qui partem negantem amplectuntur, vocabulum hoc soror propria & primaria significatione non accipiendum esse docent. Quamobrem Diuum Hieronymum consulamus: hic in libello de perpetua Virginitate Mariæ Dei Genitricis, & iterum in Commentarijs super Matthæum: eandem, inquit, quam Ioannes Euangelista sororem matris Iesu vocat, intelligimus materteram Domini quæ

*Ion. 19.**Contra
Heluidiũ
Matth. 12.*

quæ esse dicitur mater Iacobi Minoris, & Ioseph, & Iudæ. Hæc Hieronymus; qui vtrum nomina hæc Soror & Matertera propriè accipienda sint, an potius non propriè sed recepta vulgo ciuilitatis causa communi forma loquendi, diffinire non vult, sicut contra Heluidium faterur scribens: Siue, inquit, à patre, siue à gentilitate familiæ, aut quacunque alia ex causa ei nomen sororis impositum sit, hac in parte contentiosum funem non traho, dummodo constet non eandem Mariam Iacobi & Iosetis esse quam matrem Domini scimus. Beatus Hieronymus ergo problema hoc soluere non vult, vtrum in primaria & propria, an in secundaria & vulgari notatione qua vrbauitatis ergo recepta glorem suam mulierculæ sororem appellant, & patri sui vxorem viri mitius & gratius appellant materteram. Iam si contemporaneos aliquot Hieronymo vel ipso antiquiores etiam in terrogem, putà Hippolitum, Epiphaniū, Chrysostomum, Theophylactum, Gregoriū Nyssenū Græcos scriptores, aut etiam Latinos aliquot magni nominis patres Hilarium Pictauiensem, Ambrosium Mediolanensem Episcopos, & aliquot alios trecentis aut quadringentis annis recentiores putà Hugonem de S. Victore, Rupertum abbatem Tuitiensem & Aloisium Lipomanū hi omnes vno ore clamabunt sic appellatam, quia filia erat Cleophæ, ceterum fuerit

In caput
Ioan. 19.

Deute. 25.

an non fuerit Cleophas S. Annæ secundus mari-
tus non omnes conueniunt. At qua ratione Ma-
ria Cleophae filia esse potuerit soror Deiparae
virginis vnus pro omnibus respondet Theophy-
lactus in hæc verba: Quomodo autem soror ma-
tris Domini dicatur Maria Cleophae, quum Ioa-
chim non habuerit aliam prolem, sciendum
quod Cleophas frater fuerit Ioseph, & quum
mortuus esset absque liberis Cleophas (vt qui-
dam dicunt) Ioseph eius vxorem duxit, &
proles fratri peperit, quarum vna & nunc
memoratur Maria Cleophae, quæ soror dicitur
Deiparae, hoc est, cognata. Hæc Theophylactus.
Sed hanc opinionem qua Ioseph non virgo sed
viduus à quibusdam est dictus, sicut & illam qua
fertur fratri suo defuncto Cleophae semen, id
est, prolem suscitasse, capite huius libri sexto
disertè confutauimus. Sed largiamur Mariam
Cleophae sic appellatam, quod secundum le-
gem de suscitando semine fratri defuncto, sit à
Ioseph procreata fratri suo Cleophae, & hinc di-
cta sit Maria Cleophae, an ideo soror Deiparae
erit appellanda? sane non, sed priuigna matris Ie-
su potius nuncupanda foret, quom virgo Deipa-
ra Iosephi coniunx sit. Et quanquam con-
cederem Mariam Cleophae sic dictam, quasi
filia fuerit Cleophae, nemo tamen horum patrū
asserit, adeoque nec verbulum vllum hincit ex
quo conijcias sanctam matrem Annā Ioa-
chim viduam esse illam Cleophae vxorem, ex qua Ioseph

seph

seph suscitauerit fratri semen; hoc enim si quisquam somniet, absurdissima consequentur, nempe Iosephum vtramque & matrem Annam cognouisse ad suscitandum fratri semen, & Dei genitricem Annæ filiam habuisse coniugem quod nefas est. Nunquam igitur Anna hoc modo Cleophæ vxor fuit, neque Anna secundum coniugium experta est, adeoque nec Maria Cleophæ, fuit Cleophæ & Annæ filia. Restat igitur diligentius inquirendum, qua ratione tandem matris Iesu soror sit Maria Cleophæ. Hugo proinde de sancto Victore, & beatus Thomas Aquinas, & aliquot alij recentiores vt eius modi vitarent incommoda scripserunt nõ quidem Iosephum suscitasse semen fratri suo Cleophæ ex beata Anna, sed Cleopham post mortem Ioachim accepisse hanc Annam viduam in vxorem de qua genuerit Mariam Cleophæ, attamen de re tam antiqua & abstrusa sine testimonio veterum Theologorum non temere quidquam recipi debet, sicut probè monet Aloysius Lipomanus Episcopus Veronensis, cuius verba sunt hæc quæ sequuntur: Quòd si forte, inquit, nec quæ Hugo de S. Victore dicit tibi placuerint, nempe Cleopham post mortem Ioachim accepisse Annam B. Virginis matrem in vxorem, ex qua Mariam hanc Iacobi & ceterorum fratrum matrem genuerit; quemadmodum nec mihi placere potest, tantam illam matronam post sterilitatis diuina gratia solu-

In epistola ad Galatas.

In Opere de Vitis sanctorum epistola ante sermonem de Annũcia. Vide L. Strium.

Gene. 13.

tum impedimentum, & post dignissimæ plantulæ illius foeturam nempe reginæ Angelorū & Dominæ nostræ ortum, mortuo Ioachim vnum aut alterum (vt vulgò dicunt) sibi maritos superinduxisse, & rursus atque rursus conjugales amplexus adamasse, dicit Cleopham qui hanc Mariam Iacobi matrem genuit, fratrem germanum sancti Ioseph fuisse, vt Theophylactus asserit, qui ex coniuge sua, alia quàm Anna, quæcunque ea fuerit, Mariam hanc Iacobi matrem genuerit, quæ postea Alphæo nupta mater horum filiorum effecta sit. Cum ergo sanctissima Maria sponsa fuerit Beati Ioseph, Cleophæ glos fuit, illeque ei leuir, atque filia eius Maria Iacobi fuit Beatæ Virginis neptis, quæ soror eius more scripturarum dicta fuerit, sicut Loth dictus est frater Abrahamæ, cum esset Aran fratris sui filius. Et hoc modo si dixeris, in nullam incidēs difficultatem. Quòd si nec hoc tibi placet, aliam tu excogita rationem meliorem, &c. Hæc Lipomanus. Atque hoc est cuius & suprà huius libelli sexto capite meminimus, Mariam Cleophæ nullo modo esse B. Annæ filiam; imò si à patre dicta sit Maria Cleophæ, quasi eius filia, consequetur etiam hanc non proprii nominis sororem, sed neptem tantum beatissimæ Virginis esse posse. Sed nunc alios consulamus qui & propius nos docebunt quomodo Maria Cleophæ, soror matris Iesu nominetur, idque nō suo ingenio

ingenio excogitatum, sed veterum sententia patrum Ecclesiæ comprobatum. D. Cornelium Iansenium ergo Episcopum Gandavensem de hac controuersia disserentem audiamus: cuius verba sunt hæc quæ sequuntur: Cæterum, inquit, quod Ioannes dicit matrem Domini cum alijs mulieribus stetisse iuxta Crucem Iesu, nequaquam debet videri contrariū ei quod alij Euangelistæ dicunt mulieres illas stetisse à longè. Nam, vt habet Augustinus, aut intelligi potest in tanto illas fuisse intervallo vt & iuxta dici possent, quia in conspectu eius aderant, præsto: & à longè propter turbam propinquius circumstantem cum Centurione & militibus: aut propius quidem illas cum matre astitisse, postea verò è densitate turbæ se subtraxisse, & à longè stetisse. Porro de muliere illa quam Ioannes vocat sororem matris Domini, nomine Mariam Cleophæ, variè multum sentitur. At valde probabile, vt non dicam certum, est hanc esse eam quam reliqui Euangelistæ vocant Mariam Iacobi, quemadmodum primum ex eo colligi potest, quod sicut hic Ioannes eam coniungit cum Maria Magdalena, ita Mariam Iacobi reliqui Euangelistæ coniungunt cum illa circa Crucem Iesu, & in accessu ad sepulchrum. Nec potest probabiliter dici præter Mariam Iacobi, etiam circa Crucem Domini & sepulchrum fuisse aliam quæ dicta

*Commen-
tarij in
euang. con-
cordia c.
143.*

*Ioan. 19.
Math. 27
Luca 23.*

*Cesar Ba-
ronius in
Appara-
tu dissen-
tit.*

LUCÆ 24.

fit Maria Cleophæ, quia Matthæus dicit postea: Vespere sabbathi venit Maria Magdalena & altera Maria; satis significans inter illas mulieres non fuisse cum Magdalena (præter matrem Domini de qua tres Euangelistæ tacent) nisi vnam nomine Mariam quam prius vocauerat Mariam Iacobi. Eadem est ergo mulier quæ Maria Cleophæ dicitur: aut, vt habent Græci, Clophæ (non est enim hic illud nomen quod apud lucam dicitur esse nomen vnus ex duobus Discipulis euntibus in Emaus, cum hic sit κλωπας, ibi verò κλεισπας) & Maria Iacobi: Cleophæ quidem quia eius vxor: Iacobi verò quia eius mater. Mariam autem Iacobi fuisse sororem matris Iesu, patet ex eo quod Matth. 13. & Marci 6. Iacobus, Ioseph, Iudas & Simon qui fuerunt filij illius Mariæ, dicuntur fratres Iesu ob cognationem: vt hinc altero argumento colligere liceat Mariam Iacobi eandem esse quam Ioannes Mariam Cleophæ appellat sororem matris Domini. Cum autem Iacobus iste Matth. 10. cap. & alijs locis vocetur Iacobus Alphæi, quia Alphæi filius, consequens est maritum istius Mariæ binominem fuisse & Alpheum simul & Cleopham sue Clopham vocatum fuisse, vnde Simon ille vnus ex duodecim Apostolis frater Iacobi, & filius Mariæ Iacobi, vocatur ab Eusebio libri 3. cap. 32. ex auctoritate Hegesippi filius Cleophæ, vt hinc certissimo conitet Mariam Iacobi esse Mariam Cleophæ, sicut etiã

Diuus

Diuus Hieronymus prolixè probat libro contra Heluidium. Superest inquirere quomodo hæc soror fuerit matris Domini. Et quidem vulgari apud nos sententia receptum est eam vere & propriè fuisse sororem matris Domini, ex eadem cum ipsa progenitam matre, Anna scilicet, sed alio patre quem volunt Cleopham dictum esse, vt Maria Iacobi dicatur Maria Cleophæ quia eius filia. Verum vt vulgarem hanc sententiam patet ex præcedentibus falsam esse ex ea parte qua Maria Iacobi dicitur vocata Maria Cleophæ quia eius filia: ita & ex altera parte qua dicitur fuisse verè soror Deiparæ & filia Annæ non est verisimilis; tum quòd parum dignitati sanctissimæ matronæ Annæ plures ei ascribere maritos ab illa successiue acceptos, etiam post prolem ex priore marito susceptam, tum quòd moris non sit eiusdem parentis proles eodem appellare nomine. Probabilior ergo est antiquorum sententia, qua asseritur Maria Cleophæ, ideo dicta soror Deiparæ quòd Cleopas fuerit frater Ioseph mariti Deiparæ. Sic enim non tantum Euthymius habet qui non dubitauit Mariam Deiparam asserere vnigenitam fuisse filiam, sed & Eusebius ex autoritate Hegesippi dicēs li. 3. ca. 11. de Simeone filio Cleophæ: Consobrinus is secundum carnem Saluatoris fuisse dicebatur, quia Cleopham fratrem fuisse Ioseph Hegesippus contestatur. Et hætenus D. Cornelius Iansenius, qui vsus est Eusebio

*Euthymi
us Zigabe
nus in E-
uangelia.*

per Vuolfgägum Musculum translato, sed quæ apud hunc interpretem habebantur lib. 3. ca. 32. nunc in translatione per Ioannem Christophor sonū Episcopum Anglum habentur libri 3. cap. 26. Atque ita rectius multò veritatem ipsam diuinavit Episcopus Iansenius, quàm Episcopus Lipomanus dum asserit Mariam coniugem Ioseph, esse fratriculam Cleophæ, & hunc esse sanctissimæ eiusdem Mariæ leuirum, huiusque Cleophæ uxorem, nempe Mariam Cleophæ ex hac affinitate sororem esse matris Iesu: quæ sententia quoniam antiquissimorum Hegesippi, Eusebij, & Euthymij testimonio confirmatur retinenda videtur, sed vnus adhuc superest scrupulus nempe hic quod Græcus contextus apud euangelistam habet: ἀδελφὴ, id est, soror germana seu vterina, δελφὺς enim vterum significat hinc ἀδελφὴ quasi ὁμοδελφὴ id est eiusdem vteri soror: secundum quam significationem, Mariam Cleophæ esse filiam sanctæ matris Annæ oportuisset. Nam nisi Mariam Cleophæ voluisset Euangelista intelligi vterinā esse Deiparæ sororem, pro ἀδελφὴ posuisse poterat εἰνάτηρ id est fratria seu vxor fratris mariti mei. Sed hic nodus hoc modo videtur dissolui posse si voculam ἀδελφὴρ id est Sororem improprie accipiamus quia mitius & dulcius sonat quam εἰνάτηρ seu fratria, siquidem & apud alium Euangelistam ἀδελφαί, id est Sorores I E S V nominantur, quæ tamen non erant

Ioan. 19.

Math. 13.

erant vterinæ Iesu sorores, sed neptes. Permanet igitur horum probabilior assertio, qui monogamiam beatæ matris Annæ tuentur, quoniam & cum Euangelio & veterum testimonijs aptissimè conuenit. Huius quoque quæstionis in principio huius capituli propositæ partem negatiuam tanquam probabiliorem, veritatiq; magis consentaneã propugnant doctissimi quique, è quibus Melchior Canus Canariæ Episcopus: Hæc, inquit, Maria Iacobi à Ioanne Maria Cleophæ cognominata est: erat autem Cleophas frater Iosephi (vt Eusebius in Ecclesiastica historia ex Hegeſippo retulit) ob quam causam, nisi inquit coniectura me fallit, soror Mariæ virginis appellatur, nam & leuiri fratres vulgò dicuntur, & fratrum vxores sorores. Et paulo infra, idè infert: Qua ratione, ait, Maria ista Christi matertera nuncupari potest, non quòd verè Mariæ virginis germana fuerit, sed quòd soror & habita & dicta sit. Petrus quoque Canisius insignis theologus Societatis Iesu in præclaro illo Opere de incomparabili Virgine Maria in eadem propendet sententiam, quam, inquit, & recentiores Theologi re diligentius excussa comprobant. Eadem & Cæsar Baronius, cuius verba quoniam cum superioribus per omnia conueniunt breuitatis causa omitto. Nunc quæ tandem mater fuerit Mariæ Cleophæ, & an plures vel non habuerit, hæc ipsa viros disputando modestè quæramus.

*Locorum
Theolog.
Li. II. c. 5.*

Li. I. ca. 4.

*In appa-
ratu hist.
Eccles.*

De

*De matre Maria Cleopha, & vtrum
sæpius nupta fuit hæc ipsa Ma-
ria Cleopha?*

C A P V T X I.

Quoniam ostendimus sanctam hanc ma-
trem Annam non esse matrem Mariæ
Cleophae, interrogabit fortasse quispiã,
quænam igitur tandem mater fuerit Mariæ
Cleophae? cui vt respondeam equidem fateor
nescire me: sed diuinare posse filiam esse sor-
oris beatæ Annæ natu maximæ, quæ vt diximus
huius libelli cap. quarto vocabatur Maria, & pe-
perit Salomen. Nam & hoc vulgo pridem re-
ceptum est duas hæc sorores esse Mariã Cleo-
phae & Salomen, quod attamen quia Hippoli-
tus apud Nicephorum non expressè scripsit nõ
affirmo, nisi postmodum nobis aliquid certius
innotescat. Quapropter omissa hac quæstione
posteriorem tractabo: vtrum hæc Maria Cleo-
phae apud Ioannem, quæ etiam Maria Iacobi &
Maria Ioseph nominatur, vnicum duntaxat ma-
ritum qui binominis fuerit, dictus scilicet Cleo-
phas & Alphæus; an potius duobus successiue
viris matrimonio coniuncta fuerit. Cornelius
Iansenius, vt proximo antecedente dictum est
capite, ait eundem vnumque virum Alphæum
simul & Cleopham siue Clopam vocatum
fuisse.

Li. 2. ca. 3.

Ioan. 19.

Mat. 27.

Marci 15.

Luca 24.

fuisse. Nihilominus idem hic autor in Commē-
tario suæ Concordiæ Euangelicæ super caput
Matth. nonum: Non facile est, inquit, inuenire
binomines in scripturis, nisi per mutationē no-
minis primi, ac per expressionē eiusdē nominis
per alterius linguæ nomen idem significans,
quomodo Cephas Hebraicè, Petrus Græcè, La-
tinè Saxum dicitur. Hæc ipse, sed secundum hanc
opinionem, quom longè aliud significet Alphæ-
us quam Cleophas, hoc enim nomen idem est
dictu quod Gloria omnis, illud verò Alphæus
millesimum, seu ducem significat, Cleopas bi-
nominis non esset; quanquam & hanc senten-
tiam qua diceretur Ecclesia Catholica nullos
binomines agnoscere nisi quos scripturæ sacræ
per translationem nominis primi in aliam lin-
guam continent, fundamento carere doctissimi
viri quidam putant. Sed res ista, diligentiore
examine, vtcumque se habeat, dinonymus ne
fuerit Cleophas inueniri posse videtur. Nam Ve-
nerabilis Beda in Marcum addubitan, Maria
inquit, vxor Alphæi, soror fuit Mariæ matris
Domini, quam Mariam Cleophæ Ioannes Euā-
gelista cognominat, fortasse quia idem Alphæ-
us etiam Cleophas est dictus: vel ipsa Maria de
functo Alphæo nupsit Cleophæ. Quæ verba om-
nia & singula, ne quid incogitantius Beda scrip-
sisse credatur in Lucæ caput sextum scribens re-
petit. Gæorgius item Vuicelius in suo Hagiolo-
gio, similiter animi pendens: Aut, inquit, Cleo-
phas

*Concord.
ca. 33. §. I.*

*In 3. cap.
Euangel.
Marci.*

*In 3. cap.
Marci.*

*Capite de
Apost. no-
minibus.*

phas ille cognominatus fuit Alphæus, aut Alphæus secundus maritus huius Mariæ fuerit oportet. Audimus ergo neutrum horum consequens esse aut certum quod binominis sit Cleophas pronunciare velle. Sed istud in hac vtriusque hypothetica propositione est obseruandum, quod, nisi dinonymus sit Cleophas Beda Alphæum priorem fuisse maritum & Cleopham posteriorem opinetur, Viucelius verò Alphæum secundum maritum huius Mariæ fuisse existimet. Sed dispiciamus probare possit Mariam hanc digamam fuisse. Et quoniam, vt Beatus Augustinus docet, querendum est rationi quid consentiat veritati, vt fiat ipsa veritas autoritas, sine qua nec valet autoritas; audiamus qua ex causa Cæsar Baronius ratiocinetur Cleopham non fuisse binominem, sed duos fuisse successiue huius Mariæ maritos Cleopham & Alphæum; quoniam Eusebius dum ait Cleopham fratrem fuisse Ioseph, eoque Cleopha gentium Symeonem qui Iacobo Minori in sede Hierosolymitana successit, cuius dum meminit & non dicit eos fuisse inter se germanos, facile, inquit Baronius, inducor vt opiner diuersos prorsus fuisse Cleophen & Alphæum. Eandemque hanc suam opinionem Baronius repetit eo loco vbi sub annum Christi 44. & Claudij Imperatoris secundum, agit de Simone Cananæo qui & Zelotes reperitur dictus: quod, inquit, ad Simonem

Lib. de vera religione.

In Apparatu.

Eccle. historiæ. li. 2. cap. 1.

nem pertinet, errare certum est illos qui hunc ipsum in vnum constant cum Symeone, qui Iacobi frater eidem in sede Hierosolymitana est subrogatus Episcopus, quem Eusebius ex Hegesippo planè ab illo distinctum esse demonstrat, dum illum Mariæ Cleophæ, & non Alphæi filium esse dicit. Rursus sub anno Christi 68. & Neronis Imper. anno 12. vbi de Iuda Thadæo qui & Lebbæus dictus est tractat: Cæterum, inquit, sicut apertè monstratum est diuersos esse inter se Simonem & Iudam, itemque Iudam à Symeone successore Iacobi, ita etiam patet Simonem Caranæum distinctum fuisse à Symeone Cleophæ passo sub Traiano. Idque tam Græci quàm Latini pariter profitentur, dum illi in Menologio, isti in Martyrologio, diuersis diebus, diuersisque notis eos distinctos ponunt, cum singulorum anniuersariam proponunt memoriam celebrandam. Beda quoque qui eodem fuerat lapsus errore, vt hos duos vnum putaret esse Simonem, sententiam retractauit. Hactenus Baronius. Sed operæ precium erit quoque Venerabilis Bedæ verba ex libro Retractionum eius recitare: Isidorum, inquit, & nos olim in principio Actus Apostolorum libri, sequuti sumus, non ea scrupulosius discutientes, sed simpliciter eius dictis auscultantes, rati quòd hæc ipse de certis veterum historijs dedicerit.

Retractionū in Acta Apost.

Et post

*In marty-
rolog. Be-
da.
Luc. 6.*

*Marty-
rolog. Ado-
nis.*

*Histo. Ec-
cles. Euse-
bij lib. 3.
cap. 26.*

Et post pauca: Non mihi imputandum reor er-
rorem, vbi magnorum autoritatem sequens do-
ctorum quæ in illorum Opusculis inueni abs-
que scrupulo suscipienda credidi. Hæc Beda su-
per Acta Apost. Idem rursus scribit hæc quæ
sequuntur: Simon Cananæus qui & Zelotes, &
Thaddæus, qui & Iudas Iacobi appellatur in e-
uangelio, vnus ex canonicis epistolis scriptor,
hic Mesopotamiam, ille Aegyptum Euangeli-
ca prædicatione peragrauit. Postea in Per-
dem conuenientes cum innumerabiles filios
Iesu Christo peperissent, fidemque in vastissi-
mus illis regionibus & efferatis gentibus disse-
minassent, doctrina, & miraculis ac denique
glorioso Martyrio simul sanctissimū Iesu Chri-
sti nomen illustrarunt. Hæc ille. Bedam Ado.
Treuirorum Archiepiscopus sequitur: Quod in-
quit, quidam putant Simonem Apostolum v-
num de duodecim, ipsum esse qui sub Traiano
passus est crucem, omnino falsum est, quamuis
hoc putauit Isidorus, nam & Beda sanctus pres-
byter qui hoc super Acta Apostolorum sentit
Isidorum sequutus; in libro retractationum se
hoc non bene sensisse reprehendit. Sed & hi-
storia Ecclesiastica non de Apostolo, sed de
alio Symeone gesta narrat. Hæc Ado. Mihi vero
tandem (si coniectare licet) Sophronius ille, qui
in Operibus Hieronymianis de Scriptoribus Ec-
clesiasticis inuenitur imposuisse videtur Isidoro
hic Isidorus post Hieronymum annis ducentis
vixit:

vixit : quamobrem non Cleopham dinonymum arbitramur, sed duos diuersos fuisse viros Cleopham & Alphæum : Cleophamque priorem fuisse maritum Mariæ Cleophæ, ex quorum connubio vnicus natus est filius nomine Symeon Cleophæ, qui Christum ætate anteibat annis vndecim, cuius Cleophæ martyrium tunc Hierosolymorum Episcopi in Hierosolymis contigit, anno Imp. Traiani decimo quo tempore Symeon annorum erat centum viginti, adeo vt omnes & ipse Consularis Atticus supramodum mirarentur, quo pacto vir tam grandæuus tam acerbum cruciatum in Crucem actus sustinuerit. Hanc eandem Mariam Cleophæ viduam Alphæus duxit vxorem & ex ea genuit nobilem illum quaternionem fratrum, e quibus Iacobus Minor, Simon & Iudas Apostoli fuere, quartus nempe Iosus qui & Ioseph Christi Discipulus erat, atque ab hoc Iacobo Minore sanctissimo Hierosolymorum Episcopo secundo, hæc Maria quæ primum Maria Cleophæ vocabatur, in posteriore coniugio Maria Iacobi & Maria Ioseph appellata est. Et huius Mariæ Cleophæ seu Mariæ Iacobi mater erat soror B. Annæ natu maxima nomine Maria de qua ex Hippolito meminimus huius Opusculi capite quarto. Atque iam tandem perspicuum fit Mariam Cleophæ non esse germanam vel vterinam ex Anna genitam sororem; sed sororem matris Iesu dictam ex

*Li. 3. c. 10.
et 11. et 26*

Marcus.

L

parte

*Ex appa-
rati.*

parte prioris mariti sui Cleophæ cuius fratri nē-
pe Iosepho Maria mater Iesu nupserat; eadem-
que Maria Cleophæ ex parte matris suæ, foro-
ris Annæ, erat Mariæ matris Iesu consobrina.
Eiusdemque nobiscum opinionis est Cæsar
ille Baronius, Soranus, sed eius verba referam,
quæ partim supra in hoc capite citavi quantum
ibi pro nobis faciebant, sed quia in sequenti-
bus à nobis & Iansenio dissentit, præstat inte-
gra secundò ascribere: ea sunt hæc: Inhæ-
remus, inquit, ut par est Hegelippo omni-
um antiquissimo, ac proximo Apostolorum
temporibus, qui ait Cleopham fratrem fuis-
se Ioseph, eoque genitum Simonem seu di-
cere velimus Symeonem, qui Iacobo Minori
in sede Hierosolymitana successit, cuius dum
meminit, & non dicit eos fuisse inter se ger-
manos, facilè inducor ut opiner diuersos pror-
sus fuisse Cleophen & Alphæum, distinctas-
que esse inter se Mariam Cleophæ, & Ma-
riam quæ ab iisdem Euangelistis mater dicitur
Iacobi Minoris & Ioseph, eandemque Ma-
riam Cleophæ, ut habet Ioannes, sororem
fuisse sanctissimæ Virginis, non germanam ex
Anna genitam, sed consobrinam ex sorore vel
fratre patris vel matris genitam. Nec est quod
quis possit arguere eandem esse Mariam Iaco-
bi & Ioseph matrem cum Maria Cleophæ,
quasi quod plærumque accidit Ioannes expres-
ferit quod cæteri Euangelistæ tacuerint, nam
diuersus

diuersus prorsus est eorundem sermonum contextus dum Matthæus & Marcus, Mariam matrem Iacobi & Ioseph à longè stantem cum cæteris mulieribus tradunt: Ioannes verò de Maria Cleophæ habens sermonem, eandem cum Maria Virgine iuxta Crucem manentem constituit. Hæc sentiens, inquit, puto Hieronymus haud fixus in priore permansit sententia, vt eadem fuerit Maria mater Iacobi cum Maria Cleophæ: sed quid ait in fine disputationis? Verum, inquit, in hac parte contentiosum funem non traho, alia fuerit Maria Cleophæ, alia Maria Iacobi & Ioseph. Hactenus Cæsar. Cui respondeo fieri potuisse vt tempore Beatorum Hieronymi & Augustini in Ecclesia quæstio fuerit vtrum vnica esset mulier quæ Maria Cleophæ & Maria Iacobi diceretur, an vero mulieres diuersæ, sed Hieronymus eam quæstionem vt audiimus tractare noluit. Augustinus verò diligenter dil'oluens ait in libris de Consensu Euangelistarum eas tanto fuisse interuallo, vt & iuxta dici possent, quia in conspectu eius erant præto, & a longè, propter turbam propius circumstantē cum Cæturione & militibus: aut prius quidem illas propius cum matre Iesu astitisse, postea verò e densitate turbæ se subtraxisse & à longè stetitisse. Augustini hac solutione vtitur Sanctus Thomas Aquinas, iuxta, inquit, & longè re-
latiue dicuntur seu diuerso respectu: iuxta, quia

*Math. 27**Marci 15**Ioan. 19.**Contra
Heluidiū**Li. 3. c. 21.**Lectione**4. in 10ā.**cap. 19.*

Matt. 10.
Marc. 3.
Luca 6.
Acto. 1.

quia in conspectu erant Iesu, Longè, quia alij
 erant intermedij. Hæc Thomas: quibus ver-
 bis credo satisfactum obiectioni Casaris, qui
 ex hoc contextu distinctas fuisse mulieres Ma-
 riam Cleophæ & Mariam Iacobi probare vo-
 luit. Nos vero qua parte Maria hæc Cleophæ
 vxor, & Iacobi mater vna eademque mulier
 esse creditur, Iansenio assentimur, sed qua par-
 te vnicum eius maritum fuisse quem binomi-
 nem facit vt & Clopas dictus sit & Alphæ-
 us, ego cum Venerabili Presbytero Beda, Al-
 phæum secundum fuisse huius Mariæ coniu-
 gem post mortem Cleophæ dicere mauelim:
 quia Euangelistæ tres qui duodecim Aposto-
 lorum nomina conscripserunt constanter &
 vnanimiter huius Mariæ filium Iacobum Al-
 phæi & non Cleophæ nuncupant, certa igitur
 potius quàm incerta sequamur. Et ha-
 ctenus de Maria Cleophæ cuius fuerit filia,
 & quos habuerit maritos, & quod ex prio-
 re viro vnicum filium Symeonem Cleo-
 phæ, quatuor verò filios ex postero-
 re conceperit dictum est satis.

Iam nunc quid de Sancta
 Maria Salome apud
 veteres inuenerim
 dicam.

An

*An Maria Salome beata Anna
filia fuerit.*

CAPVT XII.

Petrus Canisius in Opere de incomparabili virgine Deipara, vtrū, inquit, Salome proprio nomine Maria sit nominata, haud satis constat, quanquam vulgo iam receptum sit vt omnes illæ mulieres tres ad sepulchrū venientes vno illo & gratioso nomine Maria insigniantur. Hæc ille. Porro fuisse quandam mulierem claram Salomen nomine quæ circa sepulturam Domini extiterit, ex Euangelio cognoscimus, quàm Ado Treuirorum Archiepiscopus recitat, quodque festus eius sit dies vicesima secunda Octobris; nulla enim in nouo Testamento inuenitur Salome nisi hæc quæ circa sepulturam Domini occupata fuit. Sed de hac ipsa Originem audiamus Adamantium. Si autē, inquit, opinari oportet & dicere etiam nomen matris filiorum Zebedæi dico quod hæc ipsa fuerat Salome pacifica appellata: & duas quidem esse præsens Euangelista Matthæus exponit, Mariam Magdalenen, & Mariam Iacobi, tertiam autem dici matrem filiorum Zebedæi; apud Marcum autem tertia illa Salome appellatur, quæ vna erat è mulieribus iuxta Crucem, à longe aspicientibus, inter quas erat Maria

In Martyrologio suo.

Marc. 15.

Cap. 16.

Homilia

35. in

Matth.

*Math. 27
Marci 15.*

*Ignatij
epistola.*

Magdalene, & Maria Iacobi Minoris & Iofes mater, & Salome. Haecenus Origenes: cuius iudicium sequuntur tam veteres quam recentiores Graeci Latiniq̄e omnes: Verum enimvero an haec Maria Salome mater filiorum Zebedaei, nempe Iacobi Maioris, & Ioannis Euangelistae fuerit B. Annae filia, sororq̄e Mariae Deiparae Virginis, & secunda matertera Christi, sunt qui affirmant, sunt qui reclamant. Qui pariem aientem tueri velle videntur pro se proferunt S. Ignatium qui & Theophorus cognominatur, Discipulus hic erat S. Ioannis Euangelistae post Euodium Sancti Petri in sede Antiochena successorem Episcopus Antiochenus, qui epistolam ad Ioannem Euangelistam reliquit scriptam in haec verba: Ioanni sancto seniori Ignatius & qui cum eo sunt fratres: Si tua absentia protendatur, multos de nostris destituet, prope venire quia credimus expedire. Sunt & hic multae de nostris mulieribus Mariam Iesu videre cupientes, & quotidie a nobis volentes discurrere, ut eam contingant, & tractent eius vbera, quae Dominum Iesum aluerunt & quaedam secretiora eius percontentur ipsam Mariam Iesu. Est & Salome, quam diligis, filia Annae Hierosolymis quinque mensibus apud eam commorata. Haecenus ille. En, inquit, Diuini Spiritus afflatu Ignatius dicere maluit: Salome quam diligis Annae filia, quam Salome mater tua. Sed

hoc

hoc argumentum facile dilui potest, si respondeatur multas fuisse mulieres quæ Annæ nomen habebant, & multas filias quæ Salomæ vocabantur: neque ex horum verborum antecedentibus aut consequentibus alijsque circumstantijs ostendi potest Ignatium hic loqui de beata Anna Dei genitricis matre, præsertim quom illa Salome vxor Zebedæi, non dumtaxat quinque mensibus vt peregrina, sed multis annis vt familiaris & ciuis Hierosolymitana Mariam Virginem & matrem eius Annam viderit, vtpote de sepultura Domini sollicita. Imò quod efficacius hoc argumentum destruit, sunt ex epistolis illis quædam quæ Ignatio quidem attribuuntur falso, quoniam supposititiæ ac no: hæ creduntur, propterea quod apud D. Hieronymum & Eusebium qui S. Ignatij epistolæ enumerant, hæc epistola & aliquot aliæ non inueniantur. Verum qui Salomen Evangelicam B. Annæ matris Mariæ filiam esse contendunt afferunt & aliud argumentum ex auctore Operis imperfecti in Matthæum quod operibus Diui Ioannis Chrysostomi insertum cernimus. Auctor enim ille eruditus sanè & Chrysostomo doctrina non inferior scribit in hæc verba: Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi: Hæc, inquit, est Salome cuius apud Marcum ponitur nomen, verè Pacifica quæ filios genuit pacis. Ibidem paulò infra: Accessit ergo ad Iesum petens aliquid ab eo:

*Li. de scriptorib. Eccles.
Hist. eccl.*

*Autor Operis imperfecti.
Homil. 35.
Math. 20.
Marci 15.
E. 16.*

*Commen-
tario in
Concord.
Euan.ca.
CIIII.*

Audacem enim fecerat eam natorum affectus, & reuerentiam forsitan spiritualemente vicerat amor carnalis. Hæc ille. Sed ad hæc Iansenius Episcopus Gandauensis quid respondeat accipite: Porro quo honestior, inquit, & acceptior esset eorum precatio, per matrem potius quàm per sese Dominum orare instituerunt, quam quidam putant fuisse Domino consanguineam, & sororem fuisse matris Domini; atque ob id filios sperasse sese per illam ratione consanguinitatis, facilius quod volebant impetraturos. Verum id an verum sit, ex scripturis colligi non potest, imò ex his magis contrarium videtur. Quare vt omnis incertis, certioribus inhæreamus, verisimile est ideo matrem subornatam, quod illa inter eas esset mulieres quæ Domino seruibant, & ministrabant de facultatibus suis, & secutæ eum fuerant de Galilæa, vnde sperabant hac ratione; illius preces non faciliè passuras apud Dominum repulsam. Inter eas enim mulieres numeratur à Matthæo cap. 27. qui locus si conferatur cum simili narratione Marci cap. 14. manifestum factis est quod hæc mater filiorum Zebedæi dicta fuerit Salome. Hactenus Iansenius. Sed ego vt non tam diffiniendi quàm disputandi & veritatis inquirendæ studio meam quoque sententiam dixerim, falli Iansenium, saluo eius honore existimo, in eo quod ait filios Zebedæi nulla fuisse Domino consanguinitate coniunctos

iunctos. Salome enim hæc non quidem est beatae Annae filia, sed sororis eiusdem filia. Soror enim Annae maxima nati Maria, teste Hippolyto Salomen hanc peperit, vti supra, huius libelli capite quarto, ex Nicephori Callisti historia produximus. Salome igitur à matre præ nomen accepit, Mariaque Salome est appellata. Non erant proinde Maria mater Christi, & Maria Salome sorores quidem, sed consobrinx, seu duarum sororum filix, vnde & perspicuum fit filios Zebedæi ex parte matris suæ Christo sanguine coniunctos esse. His adde quod hosce duos Zebedæi filios ad aliquot miracula peculiaria admisit, à quibus cæteros Apostolos exclusit, nempe ad resuscitationem filix Archisynagogi: tantum admisit Petrum, Iacobum & Ioannem. Quod iterum in transfiguratione contigit. Et tandem in horto eadem nocte qua tradebatur assumpto Petro & duobus filiis Zebedæi cœpit contristari & mestus esse. Certè Ioannes honorificè se prædicat esse Discipulum illum quem diligebat Iesus. Quæ omnia Salome apud se perpendens audacior fiebat, tum quòd ipsa sanguine Domino iungebatur, tum quòd Christi in filios eius affectum peculiarem sentisceret, tum quòd ipsa cæteris mulieribus ardentius Domino deserviret. Et quanquam hæc negata sit ei petitio, non tamen rectè hinc Iansenius nullam cum Christo sanguinis coniunctionem matri huic

L. 5

& filijs

Niceph.
li. 2. ca. 3.

Math. 9.

Marc. 5.

Luce 8.

Math. 17.

Marc. 9.

Luce 9.

Math. 26.

Ioan. 21.

Homilia.
22. *super*
librorum
Numero.

Causa 8.
qu. 1. cap.
Moyfes.

& filijs eius fuisse colligi posse dicit, sed contrarium potius videri posse. Nam vt scribit Origenes principatus non sanguini debetur, sed vite, sicut Moyses non filijs suis Gersoni & Eleazaro, sed ministro suo reliquit Iosue, filio Nun. Eadem quæ Origenes scribunt & alij Diuus Hieronymus & Sanctus Hilarius alijque permulti quos in vnum locum communem Gratianus in libro Decreti congeffit. Hæc ergo Iāsenij opinio quæ omni sanguine Salomen & filios eius a Christo discescere conatur mihi displicet. Quemadmodum neque Epiphaniij opinio de Maria Salome recipitur, qui credidit hæc Ioseph ex præmortua coniuge filiam fuisse, sicut capite huius libelli sexto sententiam eius sicut & Theophylacti hæc in parte erroneam demonstrauius. Nec habet quod equidem rescire potui, recentiores Theologi argumentum aliud quo doceant Beatam Annam credi posse matrem Mariæ Salomes nisi hoc: Aiunt, dicunt, seu traditur Anna nupsisse tertio cuidam marito qui dictus sit Salomas. Sed his responderi potest si aiunt, dicunt, & traditur, dic todes à quo, vel vbi vnus aliquis veterum Ecclesiasticorum nomen hoc Salomas scriptum reliquerit, qui Beatæ Annæ maritus tertius fuerit. Et non inuenies: quamobrem secundum iuris regulam: Actore non probante reus absoluitur. Linqumus igitur Beatæ Annæ vnicum coniugem donec veniat qui Cleopā & Salomam melius defendat. Nūc vt in epilogū no-

stra

stra procurrat oratio quam honorabili morte, beata mater Anna, eiusq; vnigenita filia sanctissima Virgo Dei genitrix, atq; Maria Cleophae primum, deinde Alphæi cōiunx cū filijs & reliquis cōsobrinis Christi. ex hac vita decesserint dicā.

De morte & capite B. Annae: de morte item filia eius Mariae, atq; eiusdem Virginis consobrinarum Mariae Iacobi & Salomes.

CAPVT XIII.

Non est, inquit, Diuus Aurelius Augustinus putanda mala mors quam bona vita precessit, quanquam certo non constet, quod equidem sciam, quando sancta Anna ex hac vita migravit, tamen nisi me mea fallit opinio, anno ætatis suæ, vt Cedrenus testatur, obiit 78. videlicet anno ætatis Christi vicesimo quarto. Hæc enim sancta mater Anna ætatis suæ anno vicesimo vel circiter, viro suo Ioachim nupsit, cū quo vixit sterilis per annos viginti, & quadragenaria filiolarum suarum Mariam concepit, quæ anno ætatis suæ decimo quarto exeunte Christum Seruatorem mundi concepit. Hos annos si coniungas, fiunt quinquaginta quatuor, quibus si addas viginti quatuor quos vixit post conceptum Christum efficitur numerus annorum 78.

Ioachim

*De ciuit.
lib. I.*

Ioachim biennio ante Annā mortuus erat. Præ-
tiosum B. Annæ à Christianis vbi cultū sit cra-
niū audite. Apparet enim craniū & ossa eius sa-
cra in vrbe Hierosolyma primò honorata fuisse
quod ex Gulielmo Tyrriorum Episcopo in belli
sacri libro vndecimo & decimoquinto; ex Iaco-
bi quoque Vitriaci libro cap. 58. & Ioannis Pas-
cha Doctoris theologi Carmelitæ Mechlinien-
sis Peregrinatione, eleganter demonstrat Chri-
stianus Adrichomius Delphus in Descriptione
Hierusalem, cuius verba ex numero cyfrarum
tricesimo septimo hic recito: Domus, inquit,
hæc est S. Annæ auix Christi, in qua vnà cum
Ioachim coniuge suo (cùm festa Hierosolymis
ageret) hospitabatur: vbi & vterque obiit. Hic
Beata Maria Virgo concepta est, atque ibidem
Passionis Christi tempore mansit. Vbi postea
pulchrum in honorem S. Annæ ædificatum est
Templum, quo nunc Turcæ turpiter abutun-
tur. Quo verò delatum postea sit idem S. Anne
cranium accipite. Est igitur in Asia regio quã
Maryandinum vocant Bithyniæ contermina in
qua nobilissima stetit vrbs Acone, veneno A-
conito dira, quæ tempore longo Christiana,
tandem per Othomannum Turcarum tyrannū
sub annum Domini millesimum trecentesi-
mum destruitur, & Machumerum agnoscere
cogitur, vbi & fratrum Carmelitarum, ad qua-
tuor miliaria huic oppido vicinum concrema-
tum est monasterium, fratribus adhuc ibidem
inuen-

Plinius
lib. 6. c. 1.

*Fascicu-
lus tempo-
rum.*

inuentis pro fide Christi crudeliter trucidatis; aufugerant, attamen prius aliquot qui ossa sacra permulta, & inter alia cranium B. Annæ matris Deiferæ Virginis in Europam asportauerunt. Nam (vt Vsuardus in Martyrologio scribit) in ciuitate Aconensi dormitio seu mortis dies B. Annæ septimo Calendas Augusti, à multis sæculis religiose & celebriter colebatur. Idem postea caput sanctæ Annæ in Europam delatum primò quieuit Constantinopoli oppido Thraciæ, de qua ciuitate Procopius Cæsariensis: Nostro, inquit, sæculo Iustinianus rex adeptus curam Reipublicæ per varios errores commotæ, non solum illam maiorem & splendidorem fecit, verumetiam innumeras ciuitates construxit: opinionem de Deo erroneam in solidæ fidei unico fundamento stare procurauit. Ibidem paulo infra: In eo, inquit, vrbis loco qui secundus nominatur, seu in regione vrbis secunda decoram planè & augustam ædem construxit diuæ Annæ, quæ fuisse creditur mater Dei genitricis & auia Christi. Deus enim quatenus voluit homo factus, parentum ex triplici gradu successionem sustinet, & genealogiam matris, secundum hominis similitudinem. Hæc ille. Scribunt de eadem B. Anna Epiphanius, vt supra meminimus, & Ioannes Damascenus pluribus locis, sed Damasceni locum vnum proferam ex Oratione de Natiuitate gloriosæ Virginis Mariæ: Proponitur, ait, nobis tanquam thalamus quidam Annæ

*Vsuardi
martyro
Per 10a.
Molanū
recognitiū*

*Libro de
edificijs
Iustinia-
ni primi,
Rō. Imp.
sub annū
Domini.
DXXVII*

*In Pana-
rio hare-
si 79.*

*Libr. 4. de
ortbo. fi-
de ca. 15.*

*Oratione
2. de Nati-
uitate B.
Maria.*

Annæ cubiculum, liberorum procreationis simul & Virginitatis personam delineans, illud matris hoc filie. Hæc Damascenus. Hodie Beatissimæ Annæ Christi auæ caput, seu cranium, in Alemania inferiori, oppido Marco-duri, quod Marcus quondam Agrippa ante Christum natum condidit, in Ducatu nunc Iuliacensi, quod breuitate gaudens vulgus Duren appellat ritibus pijs colitur & asseruatur, quinto lapide ab Urbium Colonia Agrippina. Iam de vnica huius Annæ filia gloriosissima Dei & hominis genitrice Maria, cuius præter alias eiusdem festiuitates, celeberrimam agit memoriam Sancta Romana Ecclesia, decimaquinta die mensis Augusti, in qua hæc ipsa in Domino obdormuisse creditur, & pro condicione carnis ex hac mortali vita migrasse, cuius sacratissimum corpus quia non inuenitur super terram turbantur multi. Quo autem venerabile illud Spiritus sancti Templum & officina nutu & consilio diuino sit delatum plus elegit sobrietas Ecclesiæ cum pietate nescire, quàm aliquid friuolum & Apocryphum inde tenendo docere: canit tamen vniuersa Ecclesia, pieque opinatur magis quàm definit quod assumpta sit Maria in cœlum, & exaltata Sancta Dei Genitrix super choros Angelorum. Sed de filij eius Iesu Christi Natiuitate, vita, morte, sepultura, Resurrectione

rectione, ad coelosque Ascensione nihil fuerit necesse huc afferre, quoniam sacra Evangelia & Acta Apostolorum hæc omnia declarant. Quamobrem ad marerteram Christi seu matris eius sororem Mariam Cleopæ quæ iuxta Crucem Iesu cum matre eius astabat transeamus: cuius festum diem Martyrologium Romanum ad nouam Calendarij rationem & Ecclesiasticæ historiæ veritatem restitutum, constituit quinto Idus April. qui est novus eiusdem mensis dies. Sunt enim hæc verba Martyrologij Romani. Eadem die sanctæ Mariæ Cleopæ sororis sanctissimæ Dei genitricis Mariæ. Sed quando, vbi, quo mortis genere ex hac vita migrauerit non addit. Quod idem Martyrologium Romanum, diem festum Mariæ Iacobi annotat octauo die ante Calendas Iunij qui est vicesimus quintus dies mensis Maij. Habet enim hæc verba: Verulis, Italiae ciuitate translatio Sanctæ Mariæ Iacobi, cuius sacrum corpus summo honore reconditum quamplurimis miraculis illustratur. Verùm an hoc Martyrologium eandem esse velit Mariam Cleopæ & Mariam Iacobi, atque duo festa habeat, vnum in Aprili quo Hierosolymis vel alibi migravit à sæculo, & alterum vicesima quinta Maij, qua Verulas translata est, dubitari posset; quia priore loco hanc nominat Mariam Cleopæ sororem sanctissimæ
Dei

Dei genitricis, & posteriore loco, honoris huius omisso titulo, dumtaxat Mariam Iacobi nūcupat. Cæterum ex ijs quæ supra in capite vndecimo disputauimus perspicuum fit in Euangelij eandem esse foeminam quæ Cleophæ vxor & Iacobi Minoris ab Alphæo ex ipsa procreati mater est. Sed de Maria Cleophæ iterum loquemur in fine huius capituli. Satis nunc est quod de Maria Salomæ quæ mater est S. Iacobi Maioris, fratris Ioannis Euangelistæ. verba illa Martyrologij non possunt accipi, tum quia Salome alia est mulier in euāgelij quā Maria Iacobi, tum quia sub diem vicimum secundum Octobris Romanum Martyrologium collocat feictum Salomes in hæc verba: Vndecimo Calendas Nouemb. sub finem: Hierosolymis Sanctæ Mariæ Salomæ, quæ in Euangelio legitur circa sepulturam Domini sollicita. Quæ quoque verba eadem in suis Martyrologijs eiusdem diei Ado & Vsfuardus habent, vt repetere necessarium non sit. Hæc Maria Salomæ Mariæ matris Dei consobrina, vtpote auunculæ eius filia, ex Zebedæo marito suo duos concepit peperitq; filios Iacobum Maiorem cognomine ad discrimen alterius Iacobi Minoris cognomine, & Ioannem Euangelistam, vtrūq; à Christo ad Apostolatus dignitatē euectum. Hic Iacobus post diuisionem Apostolorum prædicatum abiit in Hispaniam, cuius gentem postquā ad fidē Christianā suscipiendā præduram

*Marci 15.
Cap. 16. ca.*

*Vide huius libelli
cap. quartum.*

præduram expertus est, nouem dumtaxat illic collectis discipulis eosdem in Iudæam secum adduxit ad Apostolos in Hierusalē. Ceterum sub annum à passione Domini decimū tertium Herodes Agrippa filius Aristobuli paulo ante à Caio Caligula rex appellatus, misit manus vt affligeret quosdam de Ecclesia: erant autem dies Azymorū, occiditq; Iacobū fratrē Ioannis gladio. Itaq; Iacobus hic Maior, primus ex Apostolis fuit, qui pro Christo passus est, sicut & Ioannes frater eius omnium tardissimè dilectus præ ceteris Christi Apostolus obiit Ephesi, postquā illuc ex Pathmo insula reuersus erat. Domitiano siquidem iubente ex Epheso accitus Romam illuc ante portam Latinam in dolium feruentis olei missus, cū illæsus exisset ab eodem Imperatore in Pathmos insulam ablegatus exulauit, vbi etiam Apocalypsim vidit & scripsit: eodemque anno ignominiosissimè a suis occiso Domitiano, & Senatu Romano omnia Domitiani statuta reuocāte, Apostolus Ioannes Ephesum rediit, viraq; defunctus est anno Christi natiuitatis centesimo, qui fuit Traiani Imp. annus primus. Nunc porrò ad Mariæ, vxoris Cleopæ filios quos ipsa Alphæo marito suo peperit, quæ soror matris Christi ab Euangelista Ioanne scribitur, progrediamur. Quatuor hi coniuges natos procreauerunt, Iacobum Minorem, Iosetē, Simonem & Iudam. Ex his Iacobus, Simon, & Iudas Apostoli sunt, Iosēs autem vnus ex sep-

Act. 12.

*Marci 15.**Math. 4.**Gala. 2.**Ioan. 20.*

tuaginta duobus discipulis erat, qui, quando, vel ubi pro Christo animam dedit, nondum inveni. De beato autem hoc Iacobo Apostolo præter ea quæ ex Actis Apostolorum, & epistolis diui Pauli habemus, multi meminere scriptores veteres: Clemens Romanus, Hegesippus, Epiphanius, Eusebius Cesarensis in Ecclesiastica historia, Hieronymus, & Isidorus. Hic Iacobus Minor appellatur in Euangeliis, & ab Epiphanio Iacobus Paruus: sed quoniam vtrum statura & ætate corporis minor altero Iacobo fuerit, scire parum refert, hoc certum sit quòd hic Iacobus dicitur Minor, quia posterior vocatione & electione factus est Apostolus. Ille enim alter Iacobus frater Ioannis Euangelistæ, quia prior à Christo vocatus est statim post Petrum & Andream fratrem eius appellatus est Maior. Attamen sanctitate hic esset potius appellandus Maior, adeo multa pietatis eius encomia sacra scriptura, veteresq; scriptores commemorant. Imprimis Paulus Apostolus hunc fratrem Domini appellans, Aliorum, ait, Apostolorum (excepto Petro) vidi neminem nisi Iacobum fratrem Domini. Quæ verba exponens diuus Hieronymus: Quamquam, inquit, Dominus omnes Apostolos vocauerit fratres apud Ioannem dicens: Vade dic fratribus meis: Ascendo ad patrem meum, Deum meum, & Deum vestrum: per excellentiam hic Iacobus frater Domini dicitur, quia filios matris suæ ad patrem vadens Dominus.

minus ei commendauit. Hic enim (vt scribit Hegesippus vicinus temporibus Apostolorum) suscepit Ecclesiam Hierosolymæ post Apostolos frater Domini Iacobus cognomento Iustus. Quibus verbis beatus Hieronymus addit etiam hæc sequentia: Iacobus, qui appellatur frater Domini, cognomento Iustus, videtur mihi Mariæ sororis matris Domini (cuius Ioannes meminit) esse filius, qui post passionem Domini, ante diuisionem Apostolorum statim ab ipsis Apostolis Hierosolymorum est ordinatus Episcopus, vnamque tantum scripsit epistolam, que de septem Catholicis est. Hæc ille. Frater ergo Domini dictus est tam propinquitate sanguinis quia consobrinus Domini: quam ratione officij episcopalis Christi in Hierosolymis Ecclesiæ. Hic testibus Hegesippo, & Epiphanio cōtra Antimarianitas Nazareus erat, & de vtero matris suæ sanctus fuit, vinum & liceram nō bibit, carnem nullam comedit, nunquam attonsus est, nec vnctus vnguento, nec vsus balneo. Huic sollicitum erat ingredi sancta sanctorum, siquidē vestibis laneis non vtebatur, sed lineis, solusq; ingrediebatur templum, & flexis genibus pro populo deprecabatur in tantum vt camelorum duritiem traxisse eius genua crederentur. Tradit etiam Iosephus tantæ cum sanctitatis fuisse & celebritatis in populo, vt propter eius necern creditum sit subuersam esse Hierosolymam. Mortuo enim Festo qui Iudæam regebat mis-

*Cōment.
lib. 5.*

*Lib. de Ec-
cle. scrip-
toribus.*

Ioan. 19.

*Lib. 5.
Hæresi. 78*

*Antiqui-
tatu li. 20*

sus illuc est à Nerone Albinus, qui quū necdū
 ad prouinciam peruenisset, Ananus Pontifex
 adolescens, Anani filius de genere Sacerdotali
 arrepta hac occasione quòd prouincia Præside
 careret, concilium congregauit, & compellens
 publicè Iacobum, vt Christum Dei filium dene-
 garet, contradicentem lapidari iussit, qui quum
 præcipitatus de pinna templi contractis crui-
 bus adhuc semiuuius, tendens ad cælum manus
 diceret: Domine ignosce illis, quod enim faciūt
 nesciunt, fullonis fuste in cerebro percussus in-
 terijt postquam triginta tunc annos Hieroso-
 lymorum rexerat Ecclesiam vsque ad septimū
 Neronis annum. Iacobo successit Simeon filius
 Cleophæ qui vt refert Epiphanius dum lapida-
 retur Iacobus & oraret: Cessate, ait, quid lapidi-
 bus obruitis Iustum; Ecce pro vobis orat. Sed
 quomodo & ipse Simeon Hierosolymis occu-
 buit, dixi in capite vndecimo. Atque mox post
 mortem Iacobi multæ calamitates Iudæos op-
 presserunt, & multa futuri excidij Hierosoly-
 mitani præsagia præcesserunt. Inter alia viæ
 acies bellatorum in aëre, stellaque gladio simi-
 lis micare super Hierusalem: Valuæ templi me-
 dia nocte apertæ, auditi strepitus, vocesque an-
 gelorum dicentium. Migremus ab his sedibus,
 Herodes etiam Agrippa rex Galilææ & Traco-
 nitidis regionis quia ex donatione Claudij Im-
 peratoris ad se pertinebat dispositio Iudaici Sa-
 cerdotij Ananum pontificia dignitate priuauit
 cum

Hæresi 78

cum vix trium mensium Pontifex fuisset. Iacobus iuxta templum ubi precipitatus fuerat, sepultus est honorifice. Titulum usque ad obsidionem Titi, & ultimam Hadriani notissimum habuit. Quidam è nostris, inquit diuus Hieronymus, in monte Oliueti eum putauerunt conditum, sed falsa eorum opinio est. Corpus autem huius Apostoli nunc Tolosæ est, caput verò Compostellæ, eo loco ubi sepulchrum sancti Iacobi Maioris visitur in Galicia. Discipuli enim illi Hispani quos secum ex Hispania reuersus Iacobus hic Maior Hierosolymam ad Apostolos adduxerat ab Herode Agrippa decollatum corpus magistri sui octauo Calendas Apriles, Hierosolymisque passum, noctu rapuerunt, & conscensa naui Galiciam peruenientes, Compostellæ octauo Calendas Augusti sepelierunt. Diximus in hoc eodem capite supra, ubi vel quando vita defunctæ sunt Maria Cleopæ & Maria Salomæ ex scriptoribus antiquis vix doceri posse; & propterea nouis opus erit credere. Est, inquit Plinius in libris naturalis historiæ, Galliæ ora in Rhodani ostio Metina vrbs, mox quæ Blascón vocatur, & Stæchades insulæ à vicinis Massiliensibus dictæ propter ordinem quo sitæ sunt. Nomina singulis, Prote, Mœse, Hypea, id est, Prima, Media, Vltima. Massilia vrbs est antiquissima in Narbonensi Romanorum Prouincia quodam, nunc Francorum regno subiecta à Macedone & Phocensibus Græcis multis sæculis ante

Lib. de Eccl. scriptoribus.

Libr. 3. cap. 5.

In lib. de
S. Anna.

Christum inhabitata, vbi, vt scribit Conradus Vuimpina, post mortem S. Iacobi Minoris per inuidiam Iudæorum (maximi enim motus persecutionum in Christianos tunc facti sunt Hierosolymis) cum aliis quibusdam Christi discipulis in quadam rate sine cibo & potu & sine remige emissæ in mare, vt inedia vel naufragio perirent, tandem ad has Stoechades sani omnes & incolumes appulerunt. Locum hunc orationi & contemplationi amicum & aptum videntes oratorium & domicilium post annunciatum genti Euangelium construxerunt, & ad eos varij conuenientes populi ciuitatulam constituerunt, quam Maris-uillam appellauerunt. Ceterum an illic vtraque obierit Maria, postmodum que Maria Iacobi ad oppidum Verulas in Italia translata, & Maria Salome Hierosolymam asportata sit, quia apud probatum scriptorem nondum inueni, nec affirmare, nec negare possum. Transeamus ergo ad Iacobi Minoris fratres Simonem & Iudam. Hi duo Apostoli vbi, & quo tempore passi sunt, quoniam in huius libelli capite decimo per occasionem disputationis à nobis est satis demonstratum, hoc loco repetere superuacaneum foret.

Peroratio.

ATque hæc de Sanctissima matrona Diua Anna & filia eius Deipara, totaque cognitione

tionē sanctæ matris Annæ, breuiter scripsimus ad laudem Dei omnipotentis, qui pro his & omnibus alijs per Beatam Annam, filiamq; eius gloriosam Virginem, totamque sobolem eius, humano generi collatis beneficijs, sit benedictus in æuum. Amen.

Neque ego me clarius doceri feram indignè scripsi à recepta opinione, & dogmatibus magnorum virorum temere discessi, quamobrem omnia quæ in hac sunt opella nostra, sacrosanctæ Apostolicæ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ iudicio, & doctorum censura subiecta sunt.

FINIS.



Adno-

Adnotatiuncula.

EQuidem inferioris Belgij nostri sermone vernaculo libellos typis excusos vidi duos, quorum prior sine Consule, quod aiunt, hoc est, die, vel anno, vel autore, vel Typographo fuit. Alter Antuerpiæ è regione manus arree in Lombardorum mœnibus apud Nicholũ Viuarium euulgatus erat anno Domini 1564. decima septima Decembris. Vterque libellus miracula complura mortalibus per preces B. Anne in remedium data continebat, sed quæ mihi quamuis non impossibilia, minus tamen probabilia videbantur, quia nec Curionum, adeoque nec Episcoporum, neque Reipublicæ Magistratus testimonio confirmata legebã. Quapropter omissis huiusmodi non approbatis libellis, certiora sequamur. De miraculis quæ sunt precibus B. Annæ hominibus exhibita, Ioannes Trithemius Abbas Spanheimensis scripsit libum qui Moguntiaë impressus est anno 1494. Et uoniam quæ procul & olim facta sunt, apud omnes passim non inueniunt fidem, nos vnicum dumtaxat supra naturam dono cœlesti precibus Sanctæ matris Annæ concessum miraculum, in initio huius libelli præfiximus, quod in autissima sua febris ac deplorata corporis valetudine Rodolphus Agricola Frisius, vir doctissimus impetrauit.

Seruum

*Sertum Rosaceum piarum precum ad
Deum Patrem, Deiq; Parentem Ma-
riam, & huius sanctam ma-
trem Annam.*

Pater noster. Aue Maria.

O Beata Mater benedictum cubiculum,
omni florum & aromatatum odoriferorū *Gene. 3.*
genere exornatum, ex quo Deus elegit il-
lud semen quod contriuit caput serpentis anti-
qui; intercede pro nobis vt cubiculum cordis
nostri fiat Spiritus sancti domicilium.

Aue Maria.

O purissimum Reginae caelorum palatiū vbi
nouem mēsis requieuit eadem hęc tua filia, *Gene. 3.*
ō beata Anna secundum nomen tuum, quod si-
gnificat gratiam, gratiā nobis impetra, vt ser-
pens ille qui adhuc insidiatur nobis, tuis preci-
bus procul a nobis expellatur.

Aue Maria.

O sterilis Anna felix, congratulatur tibi ste- *Gene. 21.*
rilis Sara coniunx Abrahę, quia ex te natum est
proximum illud promissionis germen, ex quo
carnem sumpsit vnigenitus Dei filius: ora pro *Esa. 11.*
nobis, vt & nos fide & operibus Abrahę filij effi-
ciamur.

Aue Maria.

O sancta mater Anna congratulatur quoque *Gene. 24.*
pulcherrima illa, sed infœcunda, tibi Rebecca, *Gen. 25.*

M 5

quę

quæ mariti sui Isaac orationibus impregna-
ta fecerit geminos Esau & Iacob, sicut & tu
tuis maritiq; precibus concepisti: impetra no-
bis fecunditatem virtutum mentis & corporis
& corpus semper seruiat menti.

Aue Maria.

Gene. 29. O sancta mater Anna cōgratulatur etiā tibi,
30. adamata Iacob formosissima Rachel quæ infœcu-
da diu, est exaudita tādē peperitq; castissimū Io-
seph, obtine cōsimiliter tu nobis omnē corporis
& animi pudicitiam quā Ioseph vterque & ille
Patriarcha, & filiæ tuæ sponsus præsetulerunt.

Aue Maria.

Iudic. 13. O sancta mater Anna gratulabūda quoq; tibi
occurrit sterilis vxor Manue quæ Sāsonē robustif-
mū tandē peperit, impetra tu nobis donū fortitu-
dinis vt cōtra hostes nostros, mundū, carnē, dæ-
monia, feliciter pugnemus dono perseverantiæ.

Aue Maria

1. Reg. 1. O pia mater Anna, congratulatur quoq; tibi
Anna mater Samuelis, quia sicut ipsa aduersa-
riam suam Phœnennam superauit, ita & tu tem-
pli Sacerdotum probra cū marito tuo Ioachim
vicisti, ora filiam tuam & eius filium Iesum ne
cadamus in opprobrium sempiternum.

Aue Maria.

Iosue 15. O sancta mater Anna, quæ viginti annis igno-
miniā sterilitatis passa, rorē supernū es affecuta
precibus, ora filiā tuā vt à suo filio, & eius patre
celesti impetret nobis irriguū superius & irriguū
inferius

inferius, sicut & Axa filia Caleb à patre suo vt hîc gratiæ, & in futuro sæculo gloriæ fontes degustemus.

Aue Maria.

O tempore longo tristis areola, sancta Anna, nunc rore cælesti qui quondã Gedeonis velus impleuit conspersa, tibi congratulatur Elisabeth Zachariæ consobrina tua, quoniam ex te nobis exorta est illa superbenedicta filia, quæ est spõsa & trichisiniũ sanctissimę Triadis, tu nostri cordis siccã areolã imbregratię irrigari curato.

Aue Maria.

O sancta mater Anna per te domus David & antiquũ stemma Iacob in quibus regnat nepos tuus in æternũ cõfirmantur, tu tuis assiduis precibus eiusdem regni nos esse fac consortes, audi nos, nam te filia nihil negans honorat

Pater noster. Aue Maria.

O sancta mater Anna si ex animi tui submissione tantam esse adhuc te ignoras, abi post greges sodalium & sociarum tuarum matronarum prædictarũ, & vide quod plusquã illas te Deus adamauit; cuius filius inter vbera filiæ tuę cõmorari dignatus est, impetra nobis vt tot exempla sociarum tuarum assidue sequamur.

Aue Maria.

O sancta mater Anna dũ esset rex filius Dei in accubitu suo apud patrem, nardus tua dedit odorem suum, quando humillima castissimaque filia tua, regem cœli cœlo deduxit ab alto in hortum conclusum, vterum suum, obtine nobis

Iudicũ 6.

Luca 1.

Luca 1.

Cantic. 1.

Cant. 1.

nobis & humilem castitatem & castam humili-
tatem.

Aue Maria.

Cant. 1. O sancta mater Anna, tu es vinea illa En-
Iudicū 9 gaddi, ex qua nata est botrus Cypri, quæ læti-
Esaï . 63. ficauit Deum & hominem Christum, obtine
nobis illud vinum, & illum sanguinem quod &
quem in sui corporis torculari solus calcavit
Dei & filiæ tuæ filius, vt nectar hoc immortali-
tatis in eius regno bibamus.

Aue Maria.

Cant. 1. O sancta mater Anna, lectus tuus floridus
Ps. 3. est, quia ex eo nata est flos Maria filia tua cuius
Matth. 4. vterus est lectus veri Salomonis, quem sexagin-
ta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, imo &
omnes Dei, Angelis enim suis Deus ita de ipso
mandauit ora pro nobis vt iidem Angeli nos in
pace & bello custodiant.

Aue Maria.

Cant. 2. O sancta mater Anna tu es illa conuallis
amoenissima in qua sicut lilium inter spinas cō-
cepta est filia tua a spinis omnium peccatorum
libera, sicut Deus confert castaneæ, vt inter spi-
nas nascatur à spinis immunis, spinas ergo pec-
Cant. 2. catorum nostrorum animam nostram ledentes
Esaï. 11. precibus tuis à nobis repelle.

Aue Maria.

Iuda la- O beata mater Anna tu es illa malus selectif-
cobi fra- sima ex cuius stirpe seu trunco egressa est vir-
tris episto- ga Iesse, Maria videlicet vnica filia tua, quæ flo-
la. rem

rem iustitię omnis peperit Christum super quę
requeuit spiritus Domini patris cęlestis: impe-
tra nobis vt nos arbores intractuosę & bis mor-
tuę non permaneamus.

Aue Maria.

O beata Anna filia Ierusalem quę cum ma-
rito tuo Ioachim suscitasti & euigilare fecisti
dilectam filiam tuam per cuius fenestram & cę-
cellos sponsus eius Iesus prospexit, & descendit
in hunc mundum; petimus vt nos peccatorum
sopore mersos tuis precibus sponsus Christus
exuscitet & illuminet.

Cant. 2.

Aue Maria.

O mater Anna tu es illa aurora ex qua (quā-
do filiam tuam peperisti) factus est dies, in qua
exortus est sol iustitię Christus Deus noster, im-
petra nobis vt per singulos dies vitę nostrę in
illa luce quę Christus est, honestę ambulemus
donec ad patriā perueniamus claritatis æternę.

Cant. 6.

Aue Maria.

O sancta mater Anna cuius filia in domū ma-
tris suę deduxit fratrem suum sponsum, quan-
do in domo tua pudicissima filia filium Dei an-
gelo nunciante concepit, ora pro nobis vt ipse
sponsus nos deducat in domum Patris sui vbi
mansiones multę sunt.

Cant. 8.

Aue Maria.

O sancta mater Anna quę cum vnica filia
tua habitas in hortis nepotis tui iuxta cellam
vinariam, cellamq; aromatum, vbi omnes ami-
ci auf-

Ioan. 14.

Cant. 8.

Math. 25.

Math. 25

ci auscultant, fac & me audire aliquando vocē
illam amabilem cum omnibus amicis eius: Ve-
nite in hortum meum benedicti Patris mei, per-
cipite regnum quod vobis paratum est ab origi-
ne mundi.


Pater noster. Ave Maria.


Lib. Coll. Soc. ^{tis} Iuxta Paderborn. a. 1610


FINIS.


TYPIS DANIELIS
VERVLITII.

















Handwritten text on a book spine, including the letters "K I" and the number "15".

K
I
15